


PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXII (Fasc. IV) — N. 180
M. DECEMBRI — A. MCMLXII

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

Lauria, 5 . Apartado 1042 - BARCELONA (10)

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetis; in Gallia: 3'5 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXXIII (Fasc. IV) N. 180

M. DECEMBRI A. MCMLXII

J. JIMENEZ, <i>De numerosa Sti. Leonis Magni oratione soluta.</i>	442
C. EICHENSEER, <i>De ascensu montis Olympi.</i>	449
P. BRUNO, <i>Amor et odium</i>	456
ANDREAE AVENARII <i>de studio linguae latinae adnotatiunculae</i>	458
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: Culina hodierna</i>	461
J. ARAMENDIA, <i>Per Orbem</i>	470

PALAESTRA ADULESCENTIUM

<i>M. March</i> , Cupio esse stellula	
<i>D. López</i> , <i>Esca suavissima</i>	476
<i>I. Cama</i> , <i>Statua Memnonis. — Ad saltum equi— Solutiones</i>	477
<i>M. Molina</i> , <i>Romanorum ad furculas caudinas clades</i>	478 - 479
<i>P. Pascual</i> , <i>Pueri fidelitas — H. Huxley</i> , <i>Pecten Ovidianus</i>	480
<i>P. Capdevila — I. Ricart</i> , <i>De vetulo qui cornutus appellabatur - Triangulus</i>	481
<i>Musica popularis: Quo plus nos comitamur</i>	
<i>N. Mangeot</i> , <i>Isaac Newton</i>	482
<i>Bibliographia</i> , E. TEJERINA, E. CANAL, MARQUES, PHILOPONUS, I. GONZALEZ, J. ARAMENDIA	483
<i>Index rerum et scriptorum, a. 1961-1962</i>	499

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXII (FASC. IV) — N. 180

M. DECEMBRI

A. MCMLXII

De numerosa S. Leonis Magni oratione soluta

Quinto decimo vertente saeculo quo natalis S. Leonis I, Pontificis Maximi celebrabatur mense novembri, anno MDCCCCLXI, die indicendi Oecumenicum Concilium Vaticanum II appetente, Joannes Pp. XXIII memoriam, virtutes, praestantissima in Ecclesiam merita illius clarissimi viri, optimo consilio, magnis extulit laudibus¹. Atque re vera, hac data occasione Romanus Pontifex, qui tanta animi prudentia, sollicitudine, paterno amore, nostris hisce diebus, naviculam Ecclesiae inter tot populorum procellas regit atque gubernat, non poterat non celebrare praeconiis, tantum virum, quem omnes semper et ubique luculentis magnificarunt eloquiis, quem una voce in posterum *Magni* cognomine appellabunt.

Nostrum non est illius magni Pontificis praeclara merita recolere, qui non tantum integritate vitae, animi fortitudine, in fide et unitate Ecclesiae defendenda claruit, sed etiam doctrinam litterarumque cultum et studium enixe fovit et auxit. Volumus potius de ipsius solutae orationis virtutibus disserere, ac praecipue de clausularum rhythmicarum numerositate, quae sine dubio est praecipua dos S. Leonis Magni. Non incongruum tamen visum est nonnulla testimonia praemittere, quibus aperte pateat qualis quantusque fuerit vir et scriptor verbis, sententiis, exemplis toto orbe terrarum recolendus.

I. PRAECIPUA TESTIMONIA

Benedictus XIV, in Constitutione apostolica *Militaris Ecclesiae*, anno MDCCLIV data, dum S. Leonem Magnum ad numerum adscribit Ecclesiae Doctorum, haec memoranda verba de eo protulit:

1. JOANNES XXII, *Litterae Encyclicae «Aeterna Dei Sapientia»*, A. A. S., 53 (1961) 785-803

«Ob excellentem virtutem, doctrinam et in cura pastoralis vigilantissimum studium, a majoribus Magnum cognomento meruit appellari. Cujus quidem doctrinae excellentia, sive in altioribus fidei nostrae mysteriis explicandis, et contra insurgentes errores vindicandis, sive in tradendis disciplinae regulis et morum praeceptis, cum singulari sacerdotalis eloqui gravitate et ubertate, adeo elucescit, ac etiam tot hominum laudibus cumulata, tantoque Conciliorum, Patrum scriptorumque ecclesiasticorum studio et consensu celebrata dignoscitur, ut sapientissimus pontifex nulli ferme sanctorum doctorum, qui in Ecclesia floruerunt, aut fama aut existimatione posthabendus esse videatur»²

Paschasius Quesnellius, clarissimus et studiosissimus S. Leonis Magni editor Parisinus in praefatione, silere non potest tanti pontificis praestantissima merita. Itaque, jam ab initio, cum labores in paranda editione susceptos egregio Sto. Leoni Magno dicat, haec habet:

«Sancto Leoni Magno Ecclesiae Romanae episcopo, nec tantae sedis impari, viro apostolico, Ecclesiae luminari, orthodoxiae fidei columnae, vocis Patri interpreti, apostolorum dogmatum defensori, apostolis coaequando, angelis aequali,... Ecclesiae catholicae doctore,... canonicae disciplinae instauratori sapientissimo, executori religiosissimo, vindici fortissimo,... qui... caelesti doctrina, pietate singulari, invicto animo, exemplo, sermonibus, scriptis ex ipso apostolorum corde prolatis explicuit, asseruit, propugnavit»³.

Eadem proferunt fratres Ballerini testimonia, qui editionem omni laude dignissimam operum S. Leonis Magni paraverunt⁴. Sed non est quod diutius testimonia proferamus. Sufficiat haec tantum verba Joannis XXIII in Litteris Encyclicis *Aeterna Dei Sapientia*, prius laudatis, meminisse.

«Satis enim est veloci oculo diuturnamque industriam intueri, quam S. Leo in pastore officii scriptorisque retinendis posuit, ut eum non tantum ad integritatem doctrinae quod spectat, verum etiam ad morum disciplinam, vindicem fuisse defensorumque unitatis Ecclesiae cuique sit persuasum... Nunc autem, si quis ejus eminentiora vitae quasi a Nobis adumbrari velit, facere non possumus quin lingua nuncupemus Ecclesiam Christi raro tales de suis inimicis egisse triumphos, quales, Leone Magno Pontifice Maximo, egit, qui medio saeculo quinto in christiana re publica non secus micat atque illustris et perlucida stella»⁵.

II. DE LEONIS ORATIONE ET STILO

Nemo est qui miram S. Leonis Magni elegantiam et simplicitatem et in sermonibus et in epistulis non miretur. Teste Silva-Tarouca, claro in Universitate Gregoriana professore et in edendis leoninis epistulis optime merito⁶, «latini sermonis elegantia in S. Leonis scriptis culmen

2. BENEDICTI XIV, *Opera Omnia*, vol. 18 Bullarum, tom. III, pars. II, Prati, 1847, pag. 205.

3. Cf. MIGNE, *PL*, 54, 47-50.

4. Cf. MIGNE, *PL*, 54, 11 ss.

5. A. A. S., 53 (1961) 788.

6. C. SILVA-TAROUCA, *S. Leonis Magni Tomus: (Textus et Documenta — Series Theologica*, 9: Univ. Gregoriana) Romae, 1932, pag. 17.

attigisse videtur». Ipse Silva-Tarouca stili Leonis elegantiam et proprietatem non raro adhibet ut norma seu argumentum ad secernendas veras a falsis litteris, quae laudato pontifici tribuuntur⁷. Est enim Leonis Magni stilus planus et elegans, simplex et numerosus, figuris non onustus, sed iis tantum adumbratus, quae sponte e natura rerum oriri videntur. Sit, exempli gratia, sermo in Natali S. Laurentii, ex quo lectiones hujus festi in Breviario Romano recitandas proponit Ecclesia:

«...Cum enim furor gentilitum potestatum in electissima quaeque Christi membra saeviret, ac praecipue eos, qui ordinis erant sacerdotalis, impeteret, in levitam Laurentium, qui non solum ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticae substantiae praeeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi praedam de unius viri comprehensione promittens; quem, si fecisset sacrae pecuniae traditorem, faceret etiam verae religionis exsortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniae cupidus et veritatis inimicus: avaritia, ut rapiat aurum; impietate, et auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato sacrarii praesule opes ecclesiasticas, quibus avidissimus inhiabat, inferri. Cui levita castissimus, ubi eas repositas haberet, ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates, quae tanto integrius erant salvae, quanto sanctius probabantur expensae. Fremit ergo praedo frustratus, et in odium religionis, quae talem divitiarum usum instituisset, exardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur, ut apud quem nullam denariorum substantiam repperisset, illud depositum quo sacratius erat dives, auferret. Renuntiare Christo Laurentium jubet, et solidissimam illam levitici animi fortitudinem diris parat urgere supplicis; quorum ubi prima nihil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus et multa verberum sectione concisos subjecto praecipit igne torqueri... nihil proficis, saeva crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, et, Laurentio in caelos abeunte, tu deficis. Flammis tuis superari caritas Christi flamma non potuit, et segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit. Saevisti persecutor in martyrem; saevisti et auxisti palmam, dum aggeras poenam»⁸

Satis superque elucet in exemplo allato praecipuam in stilo Leonis virtutem esse clausularum conjunctionem et numerositatem. Et quamquam certum est omnes fere scriptores, et paganos et christianos, qui a saeculo III ad saeculum VI post Christum natum floruerunt, in perpoliendis operibus suis et clausulis ordinandis magnam adhibuisse curam, tamen S. Leonem Magnum principem in hac clausularum numerositate fingenda renuntiandum esse credo⁹. Tota enim Leonis oratio apte ordinata est et numeris vineta nitet, ita

7. SILVA-TAROUCA, *Ibidem*, fasc. 20, pag. XXXVIII. De stilo S. Leonis disseruit J. HALLIWELL, *The style of Pope St. Leo the Great*, Diss. Washington 1939; cf. etiam BATIFFOLL, *Dict. Theol. Cathol.*, IX, 218-301.

8. LEO MAGNUS, *Sermo in natali S. Laurentii*, cf. MIGNE, *PL*, 54, 436-437.

9. F. DI CAPUA, *De clausulis a S. Leone Magno adhibitis*, cf. SILVA-TAROUCA, *S. Leonis Magni epistolae contra Eutychis haeresim*: (Textus et Documenta, fasc. 15), Romae, 1934, pag. XXIII. «Ex scriptoribus saeculi V, qui numerose compositioni indulserint, Leonem principem locum habuisse viri docti omnes consentiunt».

tamen ut numeri non vi arcessiti et coacti, sed arte sponte fluere videantur. Cursus interdum incitator, interdum moderator, sed semper oratio currit tamquam in orbe inclusa, quin sistat dum ad extremum numerose et volubiler pervenit. Nihil durum, nihil fractum, neque amputatum, nihil pendens aut exsiliens, nihil solutum neque luxuriosum in leoninis clausulis invenies; sed e contra, tota Leonis oratio composita numerisque mirum in modum elaborata coalescit, quippe quae, omnibus verbis inter se bene apteque structis et ordinatis, clausulas et rhythmos ad aures profluere sinat, dum ad extremum orationis pervenimus, ubi aures et animus mira cum voluptate acquiescunt¹⁰.

Haec verba ab *Oratore* Ciceronis mutuata, servatis servandis, orationibus seu scriptis S. Leonis tribui possunt, qui certe ipsius Ciceronis sententiae conscius¹¹, non *insaniebat* neque ut infans *effutiebat* verba, sed vir aetate et doctrina proventus sententias et verba ordinabat et moderabatur omnes circuitus ad certos numeros adstringendo et omnes fere periodorum membrorumque clausulas certis pedibus ad rhythmicas formas aptando.

Tanta est in S. Leone clausularum seu periodorum constantia et numerositas ut critici viri noc argumento fulciantur ad textum recuperandum in variis codicum lectionibus. Supra laudatus Silva-Tarouca codicis Monacensis momentum commendat ex eo «quod rhythmicam periodorum compagem melius quam omnes servavit»¹². Immo Franciscus Di Capua, qui ample et optime de clausulis rhythmicis a S. Leone Magno adhibitis egit¹³, haec scribit:

«Clausularum studium ad contextum genuinum recuperandum multum valere nunc omnes viri docti consentiunt. Si duae vel plures lectiones in codicibus exstant, certe ea praeferenda est quae meliorem clausulam exhibet. Clausularum auxilio codicum menda et detegi et sanari possunt. Vide, quaeso, quanta audacia codicis *m* (cod. Vindob.) scriba verba et mutaverit et omiserit et perverse trajecerit, qua re pluribus in locis clausularum rhythmum perturbavit funditusque delevit»¹⁴.

Nonnulla postea praebet exempla confertque clausulas optimas codicis *M* (cod. Monacensis) cum clausulis pessimis codicis *m* (sc. Vindobonensis).

10. Cf. Cic., *Orator*, 59, 199.

11. Cic., *Orator*, 71, 236: «Res autem se sic habet, ut brevissime dicam quod sentio: compositae et apte sine sententiis dicere, insania est; sententiose autem sine verborum et ordine et modo, infantia».

12. SILVA-TAROUCA, *Ibidem*, fasc. 15, pag. XIX.

13. F. DI CAPUA, *Il ritmo prosaico delle lettere dei Papi e nei documenti della Cancelleria Romana dal IV al XIV secolo*, vol. I, II, III, Romae, Lateranum, 1937; primus autem tomus totus agit de S. Leone et ejusdem operum natura et virtutibus; Id., *Scritti minori*, Desclée, Roma, 1958, 2. vol., XII-1092 pag.

14. F. DI CAPUA, *o. l.*, apud Silva-Tarouca, fasc. 15, pag. XXIX.

Ipsę Di Capua in opere in quo de clausulis leoninis fusius, acrius, singulatimque egit, quasdam rejicit editorum lectiones hac tantum nixu ratione. Sic, exempli gratia:

a) — In epistula XV, 4 Di Capua proponit elegere doctrinam, potius quam elegerunt doctrinam, quae est lectio a fratribus Ballerini tradita¹⁵ sed et cursui leonino contraria.

b) — Etiam habuerit iudicium, quae est lectio a cod. M tradita, potius quam habuerat iudicium, quam tradunt fratres Ballerini¹⁶.

c) — Item in epistula ad Flavianum, quae *Tomus* dicitur, inter quinque codicum lectiones, eam recipit quae magis cum leonino cursu concordat¹⁷.

Sed jam quae sint clausulae a S. Leone adhibitae breviter videamus.

III. DE CLAUSULIS LEONINIS

Momentum cursus rhythmi seu clausularum in oratione soluta classici scriptores maxime commendant et curant. Cicero imprimis verbo et exemplo exstat hujus rei magister¹⁸. Sed quamvis omnes scriptores, sive pagani sive christiani, usque ad saec. VI post Chr. n., de hac re magis minusve solliciti fuerint, primatum tamen in hac re, inter christianos scriptores, facile S. Leoni tribuendum est, qui miras et numerosas clausulas, cum in sermonibus tum in epistulis, nobis reliquit.

Variae sunt clausulae leoninae, in eisque regulae servantur non solum de syllabarum quantitate sed etiam de verborum accentu, ad numerum oratorum obtinendum. Per totam orationem diffunditur numerus oratorius seu rhythmicus cursus, sed in duobus ultimis sententiarum verbis maxime patet, juxta illud quod nobis *Fragmenta Boviensia* tradiderunt: «Hae (orationis structurae), quamvis in omni oratione servari debeant, tamen maxime in verbis duobus, novissimo et paenultimo, sunt delectabiliter componendae»¹⁹. Praetermisso igitur ritmo seu numero qui apud Leonem in membris seu incisio minoribus latet, perpendimus illum tantum, qui in fine orationum seu periodorum invenitur, ubi S. Leo maximam habebat curam de quantitate et accentu, ita ut eas tantum incisiones admitteret, quae verborum accentum

15. F. DI CAPUA, *Il ritmo...*, vol. I, pag. 142.

16. F. DI CAPUA, *Ibidem*, pag. 179.

17. F. DI CAPUA, *Ibidem*, pag. 179.

18. Cf. Cic., *Orator*, passim. Plures sunt qui de cursu oratorio in libris Ciceronis egerunt. En tibi non nullorum nomina et opera: L. BAYARD, *La clause cicéronienne*, «Revue Philol.», 6 (1932) 37-55; H. BERNÉCQUE, *La prose métrique dans la correspondance de Cicéron*, Paris, 1899; H. BERNÉCQUE, *Les clauses métriques dans l'Orator*, «Rev. Philol.», 29 (1905) 40-50; CECI, *Il ritmo delle orazioni di Cicerone*, Torino, 1905; L. LAURAND, *Études sur le style des discours de Cicéron*, Paris, 1907; P. WUILLEURMIER, *Théorie cicéronienne de la prose métrique*, REL, 7 (1929) 170-180; J. GUILLÉN, *El ritmo en los discursos de Cicerón*, «Helmantica», 9 (1958) 83-216, 363-391.

19. KEIL, G. L. VI, 628.

non perturbarent, aliasque omnes formas, quae cum ictu pugnabant, ac curate vitare satagebat.

En igitur conspectum clausularum a S. Leone in fine periodorum maxime usitatarum:

1. Cursus planus: — v — | — — Ex.: *esse sermónem* (2 + 5)
2. Cursus tardus: — v — | — v — Ex.: [*temp-*]távit avértere (3 + 6)
— v — | v v — Ex.: [*le-*]tále dilúeret (3 + 6)
3. Cursus velox: — v — | — v — v Ex.: *córpore veritátem* (2 + 7)
— v — | — — — — Ex.: *índice declaráto* (2 + 7)
— v — | v — — — Ex.: [*neces-*]sárius fatigáto (2 + 7)
4. Cursus trispondiacus: — v v v | — v Ex.: *víncla retinérent* (2 + 6).

Jam vero de unaquaque harum clausularum haec pauca sufficiant.

1. Clausula prima seu cursus planus

Haec clausula prima ex cretico et spondeo constat pede. Cum vero ultima syllaba in soluta oratione, sicut in carmina indifferens sit, spondeus ultimus potest cum trochaeo commutari. — Si accentum respicias, haec clausula duobus finitur verbis, quorum in primo paenultima syllaba producitur; alterum vero, quod est dictio trium syllabarum, longam habet paenultimam syllabam. Unde accentus incidunt in paenultimam et in quintam ante ultimam syllabam: 2 + 5.

Dictatores, seu magistri artis dictaminis, qui saeculis XIII et XIV flourerunt, hanc clausulam vocaverunt «cursum planum», quam Stus. Leo praeter ceteras adhibuit.

2. Clausula altera seu cursus tardus

Haec clausula ex dicretico constituitur, vel ex cretico et anapaesto, ut in exemplis antea propositis patet. — Hanc clausulam, si accentum tantum inspicias, ex duobus verbis conformatur, quorum ultimum est tetrasyllabum cum paenultima syllaba brevi; verbum vero quod antecedit, habet paenultimam syllabam longam. Unde accentus in hac altera clausula in syllabas tertiam et sextam ante ultimam cadunt: 3 + 6.

A magistris artis dictandi haec clausula vulgo «cursus tardus» dicta est, fuitque etiam S. Leoni cara.

3. Clausula tertia seu cursus velox

Haec clausula constat verbo ultimo tetrasyllabo, quod ditrochaicum pedem constituit. Fuit quidem hic pes ab asiaticis scriptoribus valde usurpatus et ipsi romanorum oratorum principi familiarissimus. Hic ditrochaeus seu dichoreus pes in S. Leone semper verbum ante se habet, cuius paenultima syllaba corripitur. Potest, raro tamen, pro ditrochaeo, dispondeus poni: rarissime vero epitritus. Quod ad accentum in hac clausula haec retine: verbum

finale est tetrasyllabum, producta paenultima syllaba; praecedit verbum, cuius paenultima syllaba brevis est. Unde accentus incidunt in secundam et septimam syllabam ante ultimam: 2 + 7.

Clausula haec a magistris mediæ aevi appellata est «cursus velox», et a S. Leone, una cum cursu plano, valde adhibetur.

4. Clausula quarta seu cursus trispondiacus

Haec clausula ex paeone primo et trochaeo formatur. Quod si accentum consideres, hanc clausulam ex duobus verbis constare intelleges quorum ultimum est tetrasyllabum. Praeterea utraque ultima verba longam habent paenultimam syllabam; unde secunda et sexta syllaba ante finem ictum seu accentum recipiunt: 2 + 6.

Incognita haec clausula dictatoribus mediæ aetatis, a magistris seu philologis hujus temporis «cursus trispondiacus» vel etiam «dispondiacus» appellata est, sed inepte, ne dicam stulte, cum neque ex duobus neque ex tribus spondeis haec clausula constet.

S. Leo hanc clausulam non amat; apud eum non nisi rarissime invenitur.

IV. NOTANDA DE CLAUSULIS LEONINIS

Quod ad clausulas leoninas haec maxime notanda mihi videntur:

1. Ex quattuor allatis clausulis, post decem epistularum et trium sermonum examen, en tibi numerum singulorum exemplorum quae apud Leonem inveni.

- 1) Cursus planus: 39 %
- 2) Cursus tardus: 26 %
- 3) Cursus velox: 30'5 %
- 4) Cursus trispondiacus: 4'5 %

2. Clausula quae vocatur heroica, quaeque constat e dactilo et spondeo (ex. gr.: tēgmině / fōgi), in oratione soluta accuratissime a latinis scriptoribus vitabatur. Cicero vitiosissimam hanc clausulam ducebat²⁰. In epistulis et sermonibus leoninis a me attente perpensis et examinatis nullum quidem exemplum hujus clausulae inveni.

3. Cum de sententia seu verbis biblicis agitur, propter reverentiam in textum sacrum et ut eum integrum et immutatum proferat, deest saepe clausula rhythmica²¹.

4. Quod ad accentum, aetatis suae consuetudinem insequens et usum S. Leo valde sollicitus est maximeque curat ut verborum accentus cum icti-

20. CICERO, *Orator*, 56, 189.

21. F. DI CAPUA, *Il ritmo...*, vol. I, pag. 176.

bus metricis seu pedum percussionibus congruant. Raro inveniuntur clausulae in quibus quantitas et accentus inter se non apte conveniant.

5. Non tantum in fine orationis, sed etiam in membris et incisive minoribus rhythmum et numeros apud S. Leonem invenimus; in his vero membrorum minorum clausulis aliquando rariores cursus apparent et saepe de verborum quantitate parum curatur.

6. Ceterum littera *o* finalis in clausulis leoninis semper corripitur; sic ex. gr.: *sērmō praedicī* = cursus planus.

7. Vocalis *i*, quae in paenultima syllaba primae et alterius personae pluralis conjunctivi et futuri perfecti apparet, ut mos fuerat temporibus S. Leonis, ab eo producta proponitur. Sit ex.: *littērās misērimūs* = cursus velox.

8. S. Leo de vocalium elisione parum curat, sed facile hiatus admittit; ex. gr.: [*Nestori-]ānā impiētās* = cursus tardus.

9. Formae monosyllabae verbi *esse* ut encliticae accipiuntur, ideoque S. Leo curam nullam de iis habet in syllabarum computatione. Ex. [*docu-]mēntā pērlātā* [sunt] = cursus planus.

10. Saepius verborum formas imminuit, quo clausulae aptiores exeant. Ex.: *vēniām rēsērvārit* = cursus velox.

11. Saepe etiam clausularum causa forma *-ērē*, pro forma *-ērūnt* adhibet. Ex.: [*hobu-]ērē iudiciūm* = cursus tardus.

12. Usu docemur S. Leonem particulam *-que* saepius tantum ad clausularum idoneitatem et perfectionem adhibuisse. Ex.: [*al-]tāmquē pērsōnām* = cursus planus.

13. Saepissime etiam adverbata a S. Leone usurpantur clausularum tantum causa. Exemplā passim invenies: [*ve-]rācītēr oūdiāmūs* = cursus velox.

Sunt et alia quae ad clausulas leoninas spectant; sed praecipua, summam quidem legentibus proposui. Ampliorem de hac re notitiam, si quis quaerat, ad Franciscum Di Capua accedat, qui fuse et magna cum diligentia et auctoritate totam hanc rem in opere, cui index est *Il ritmo prosaico nelle lettere dei-Papi e nei documenti della Cancelleria Romana del IV al XIV secolo* (Roma, 1937, Lateranum, vol. I), enucleavit et luculenter tradidit.

De ascensu montis Olympi

Perplacuerunt profecto mihi, quae nos alibi Clemens Julius Mysca de montium ascensione artificiali, qualis hodie fieri solet, perquam scite, clare, dilucide docuit ¹, relationem rerum ab Alexandro Magno gestarum ² pressius persecutus. Omnibus enim rebus, quibus montes eorumque condiciones vel leviter tanguntur, animus meus non medicriter delectatur, cum sim ab Algoia (seu Algovia ³) oriundus, id est ex illo pago Alpium, qua Germania, uti nunc est, longissime in meridiem versus porrigitur. In quo confinio Austriae Vorarlbergensis ⁴ Helvetiae Germanicae ⁵ Bavariaeque Suebicae vel potius Alamannicae (seu Suebiae Bavaricae) flumen Hilōra ⁶, quod prope Ulmam ⁷ in Danuvium influit, originem ibi habet celeberrimam, ubi tres rivi, quorum quisque ex montibus Algoicis vel Austriacis profluit, amoenissime in unum conflunt. Quae convallis confragosa et venusta Hilōrae superioris seu nascentis pratis pascuis montibus collibus cincta silvisque saltibusque di-

1. Cf. MYSCA, Cl. J., De ascensione artificiali, VITA LALINA n. 14 (Septembre 1961), p. 72-78

2. Cf. EICHENSEER, P. C., De Alexandri Magni emboliis quibusdam expeditionis Indicae VIT. LAT. n. 12 (Janvier 1961), p. 79.

3. Germanice: Allgäu; Cf. LEUT(H)NER, P. Caelestina., Historia monasterii Vessofontani (= Wessobrunn). Augustae Vindelicorum (= Augsburg), et Friburgi Brisgoviae 1753, p. 16: «Sicut olim Anasus i. e. Anisus (= Enns) Hunnis aliisque barbaris, ita Licus Algojis et Alamannis frenum iniciebat». p. 562: «Algojus». Cf. KRAEMER (Ulrich), Das Allgäu (Forschungen zur deutschen Landeskunde, tom. 84), Remagen 1954, p. 21, 30, 33, p. 75: «Albegouwe hodie «Algoia est» (1596), *ibid.*: nomina Almangantia et Algoia».

Cf. BABENSTUBER, P. Ludovicus, *Miracula S. Magni abbatis* c. 3, 61 (Acta Sanctorum, Septembris tom. II, Parisiis et Romae 1868, p. 768) Melchior Soier Cranzinganus (= Kranzegg) e Rettenbergica parochia in Algoia. *Adnotantur haec* (p. 769): «Algoia, vulgo *Algou*, tractus est Germaniae in Suebia, a septentrione habens Danuvium, ab ortu Licum, ab occasu Hengoviam et lacum Constantiensem, a meridie vero comitatum Tirolensem».

4. *Vorarlberg*: per epistolam a magistratibus Dornbirnensibus (= *Dornbirn*) benignissime (14. 3. 1962) datam certiores facti sumus hanc Austriae provinciam inde ab anno 1725 in litterarum monumentis nominari 'Arlberg', in diplomatis doctorum latinis Aeniponte (= *Innsbruck*) consignatis Rhaeto-Austriam appellari.

5. Hanc plagam orientalem II Helvetii hodie incolunt, qui ex stirpibus Germanicis prognati lingua utuntur Germanorum vel potius Alamannica dialecto.

6. Nunc *Iller*. Cf. MILLER, Konrad, *Itineraria Romana* (Stuttgart 1916), p. 486. VITA S. MAGNI ABBATIS c. 4, 36 (Acta Sanctorum, Septembris tom. II, *op. mem.* p. 746). Fluvius vero vocatur Hilara; quod non est, quia multos homines conturbet propter velocissimum cursum suum, eosque potius in maerorem vertit quam in gaudium. c. 6, 57 (p. 752) narravit ei Theodorus diversa et innumerabilia, quae passus est a pagensibus Hilargaugensibus [*i. e. Hilarae accolis*]... aedificavit ibi ecclesiam super litus Hilarae.

7. Germanice: *Ulm*.

stincta dumetisque consita distat a lacu Brigantino⁸, qui est in occidente, sexaginta septuagintave chiliometra et ad septentriones a Camboduno⁹, castello illo antiquo Romano, abest aliquibus triginta chiliometris. Qua regione dulcissima nonnulli vestigia paradisi ex culpa protoparentum ingenti deperditi putant autumantque relicta esse hic illic cognitu non nimis difficilia. Hic districtus¹⁰ usque ad annum millesimum octingentesimum vicesimum primum p. Chr. n. fuit ditionis episcopi Constantiensis¹¹, sed non tota haec regio. Nam finitimae dioeceses Constantiensis et Augustana (= Augsburg) flumine Hilara separabantur.

Sed his diebus in locum quendam librorum Augustini, episcopi Hippo-
nensis (+ 430), incidit, ubi de primordiis mundi agitur. Ibi enim, ubi Dei
opificium sex dierum seu potius sex spatiorum temporis immanium, quo
cuncta ex nihilo creavit, ille diserte describit, demonstrat aquam et aëra non
nimis inter se differre, sed quodammodo inter se coalescere; id quod etiam
cognitionibus artis chemicae modernae aliquatenus comprobatur. Nam nar-
ratione libri genesis nixus: «Facta est» inquit «vespera et factum est mane
dies unus». Ita dies secundus et ceteri. Cognitio quippe creaturae in se ipsa
decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut
in arte qua facta est. Ideo vespera quam nox congruentius dici potest; quae
tamen, ut dixi, cum ad laudandum et amandum refertur Creatorem, recurrit
in mane. Et hoc cum facit in cognitione sui ipsius, dies unus est; cum in
cognitione firmamenti, quod inter aquas inferiores et superiores caelum ap-
pellatum est, dies secundus; cum in cognitione terrae ac maris omniumque
gignentium, quae radicibus continuata sunt terrae, dies tertius; cum in cog-
nitione luminarium majoris et minoris omniumque siderum, dies quartus;
cum in cognitione omnium ex aquis animalium natatiliū atque volatiliū,
dies quintus; cum in cognitione omnium animalium terrenorum atque ipsius
hominis, dies sextus»¹². Hanc argumentationem cognationis, quam habeat
aqua cum aëre, ille in eo libro, qui inscribitur 'De genesi contra Manichaeos',
exemplo quodam memorabili confirmat, ubi ait: «Concrescit [aër] et crassus
efficitur exhalationibus et quasi vaporibus maris et terrae, et de ipso umore
pinguescit quodammodo, ut volatus avium portare possit. Ideo per noctes
serenas etiam rorat, cujus roris guttae mane in herbis inveniuntur. Nam
mons ille Macedoniae, qui Olympus vocatur, tantae altitudinis esse dicitur,

8. *Lac du Constance, Bodensee*; cf. VITAM S. MAGNI ABBATIS c. 2, 14 (*op. mem.*, p. 739) inde venerunt ad lacum Brigantium, qui nunc Constantiensis dicitur.

9. Nunc *Kempten*.

10. Cf. ThLL. V, 1, 1550, 28-30: districtus, -us m. i. q. περιουχίς (sc. γῆ): *NOVELL. Just.* 42, 1 p. 264, 59 (*interpr. latin. vet., diversa ab Authentico*) in hac... civitate et ejus districtu (τῆς περιουχίδος αὐτῆς, confinio *Auth.*).

11. *Konstanz, Constance*.

12. *Aug. civ.* 11, 7, 24-39 (*Cchl* 48, 327).

ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, quia excedit altitudine sua totum istum aërem umidum, in quo aves volant, et ideo nec aves ibi volare asseverantur. Quod ab eis proditum dicitur, qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis cacumen ascendere et aliquas notas in pulvere scribere, quas alio anno integras inveniebant: quod fieri non posset, si ventum aut pluviam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aëris illius, qui ibi est, non eos inspirabat, durare ibi non poterant, nisi spongias umect <at> as naribus applicarent, unde crassiores et consuetum spiritum ducerent: hi ergo indicaverunt se etiam nullam avem in eo loco aliquando vidisse ¹³.

Haec cum primum legerem, statim illam pelliculam ¹⁴ cinematographicam ¹⁵ recordatus sum, quae erat inscripta «De miraculis meridialis oceani» (id est de amoenitatibus insularum in oceano meridionali seu australi sitarum) ¹⁶, quam ante nonnullos annos Monaci spectavi. Ibi specus sancti fanaque ethnica (id est gentilia et pagana ⁷), virorum pulsationes tympanorum et sistrorum percussiones, puellarum saltationes caerimoniales, insulaeque incolae victimas annuas numinibus fertilitatis offerentes ostendebantur. Illi quotannis in summum verticem montis cujusdam praecelsi solent ascendere, in cujus craterem fumosum haedos gallinas pecora porcos pro sacrificiis exptatoriis ¹⁸ prociunt, quibus ita dii placandi propitientur, ut in annum venturum frumenti et oryzae ¹⁹ vim satis amplam largiantur et viros piscantes a squalis ²⁰ omnis generis, imprimis a selachis maximis ²¹ et carchariis glaucis ²², benignissime tutentur. Illi enim insulani nondum scire videntur Dominum caelorum maris quoque cete condidisse ideoque ipsum solum adorandum esse venerandumque, qui cum orbem terrarum spatium siderum sapientissime formavit formataque semper administrat.

Augustinus autem aliis quoque locis aëris condiciones Olympi sumi

13. Aug. *gen. c. Manich.* 1, 15, 24 (Migne, PL 34, 184).

14. *film, Film.*

15 Cf. AAS (= *Acta Apostolicae Sedis*) 49 (1957) 785: edantur rationaria seu elenchi, in quibus... cinematographicae pelliculae... proponantur. p. 792: ad efficiendas aut in vulgus edendas pelliculas cinematographicas.

Prima Romana Synodus, Romae 1960, art. 282, § 1 (p. 120) pelliculae cinematographicae. art. 690, § 1 (p. 268) cinematographicae pelliculae.

16 Cf. AAS 53 (1961) 297: Borneum Indonestanum (*Johannes XXIII*), = *Borneo. Ibid.* Insulae Celebestam et Molucas (= *Celebes, Molukken*).

17. Cf. ThLL V, 2 923, 53-71 (*ethnicus ἔθνικός*).

18. Cf. ThLL V, 2 1701, 82; SERV. *Aen.* 3, 395 exptatorium fecit sacrificium.

19. *riz, riso, arroz, rice, Reis.*

20. *Squalus*, -i m. = *squale (requin), squalo, tiburón, tuburao, shark, Hai (fisch), ὁ καρχάριος.*

21. *Selache maxima* = *Riesenhai.*

22. *Carcharias glaucus* = *Blau-. Menschenhai.*

similibus verbis describit. Nam ait: «Oportebat itaque, ut in creandis habitatoribus inferioris hujus mundi partis, quae saepe terrae nomine tota commemoratur, prius producerentur ex aquis animalia, postea vero de terra, quod ita sit aëri aqua similis, ut ejus exhalationibus pinguescere probetur, ut et spiritum procellae faciat, id est ventum et nubila contrahat, et possit volatus avium sustinere. Quapropter etiamsi verum dixit quidam saecularium poetarum: 'nubes excedit Olympus' ²³, et: pacem magna tenent, quia perhibetur in Olympi vertice aër esse tam tenuis, ut neque nebulis obumbratur nec turbetur vento nec sustentare alites possit nec ipsos, qui forte ascenderint homines, crassioris aurae spiritu alere, sicut in isto aëre consueverunt, tamen et ipse aër est, unde aquis vicina qualitate diffunditur, et propterea ipse quoque in umidam naturam conversus diluvii tempore creditur ²⁴». Alio loco: «Nubes autem», inquit, «aqua est, quod omnes sentiunt, quibus contingit in montibus inter nubila vel etiam in campis inter nebulas ambulare, in hoc quippe aëre volare aves dicuntur. Nam in illo sublimiore atque puriore, qui vere aër ab omnibus appellatus est, nequeunt; non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. In illo autem neque nubes concrecere assentur nec aliquid procellosum existere: quippe ubi ventus adeo nullus est, ut in vertice Olympi montis, qui spatia huius umidi aëris excedere dicitur, quaedam litterae in pulvere solere fieri perhibeantur et post annum integrae atque inlaesae inveniri ab his, qui sollemniter memoratum montem ascendebant ²⁵». Denique: «Qui vero» inquit «non esse gesta [quae in sacris litteris referuntur], sed solas rerum significandarum figuras esse contendunt, primum opinantur tam magnum fieri non potuisse diluvium, ut altissimos montes quindecim cubitis aqua crescendo transcenderet, propter Olympi verticem montis, supra quem perhibent nubes non posse concrecere, quod tam sublime iam caelum sit, ut non ibi sit aër iste crassior, ubi venti nebulae imbresque gignuntur; nec attendunt omnium elementorum crassissimam terram ibi esse potuisse. An forte negant esse terram verticem montis? Cur igitur usque ad illa caeli spatia terris exaltari licuisse, et aquis exaltari non licuisse contendunt, cum isti mensores et pensores elementorum aquas terris perhibeant superiores atque leviores? Quid itaque rationis adferunt, quare terra gravior et inferior locum caeli tranquillioris invaserit per volumina tot annorum, et aqua levior ac superior permissa non sit hoc facere saltem ad tempus exiguum ²⁶».

23. Cf. LUCAN. 2, 269-271 (ed. Housman, Oxford 1926):

•fulminibus propior terrae succenditur aer,
 imaque telluris ventos tractusque coruscos
 flammaram accipiunt; nubes excedit Olympus».

24. AUG. gen. ad litt. 3, 2 (CSEL 28, I, 64, 11-65, 4).

25. AUG. gen. ad litt. imperf. p. 490, 11-22 (CSEL 28, I).

26. AUG. civ. 15, 27, 15 30 (CChL 48, 495).

His in rebus exponendis Augustinus auctores aetate superiores secutus esse videtur. Nam apud Lucium Apulejum Madauremsem, qui floruit aetate Antoninorum, id est circiter saeculum secundum medium vel jam vergens, leguntur haec: «Hujus locum» inquit «<si> quaerimus, neque finitus est terrae contagionibus nec tamen medius in aëre turbido, verum in mundano fastigio, quem Graeci οὐρανὸν recte vocant, ut qui sit altitudinis finis. Etiam idem illa ratione eum <ὄλυμπον> nominant, quem ab omni fuscitate ac perturbatione vident liberum; neque enim caliginem nubium recipit vel pruinas et nives sustinet nec pulsatur ventis nec imbribus caeditur. Haec enim nec Olympo, qui est celsitudinis summae, contingere poeta his verbis cecinit: HOMER. *Odyss.* 6, 42-45²⁷. Et alibi: «quippe [quarum avium]» inquit «nulla.., ultra Olympi verticem sublimatur. Qui cum excellentissimus omnium <montium> perhibeatur, tamen altitudinem perpendiculari si metiare, ut geometrae autumant, <decem> stadia altitudo fastigii non aequiperat, cum sit aëris agmen immensum usque ac citimam lunae helicem, quae porro aetheris sursum versus exordium est. Qui igitur tanta vis aëris, quae ab humillimis lunae anfractibus usque ad summum Olympi verticem interiacet²⁸».

Postero saeculo, id est tertio medio, C. Julius Solinus in libro, qui inscribitur 'collectanea rerum memorabilium', easdem fere sententias aptis verbis constringit, ubi sacrificiis perficiendis anniversariis altaria comparata commemorat. Ait enim: Olympum ab Homero non per audaciam celebratum docent, quae in eo visitantur, primum excellenti vertice tantus attollitur, ut summae ejus caelum accolae vocent. Ara est in cacumine Jovi dicata, cujus altaribus, si qua de extis inferuntur, nec difflantur ventosis spiritibus nec pluviis diluuntur, sed volvente anno cujusmodi relicta fuerint, ejusmodi reperiuntur: et omnibus tempestatibus a corruptelis aurarum vindicatur, quidquid ibi semel est deo consecratum²⁹.

Postremo quae Apulejus Solinus Augustinus de aëre tenuiore diligenter tradiderunt, quibus montium lustrandorum peritus eandem rem jam sescenties expertus libens annuet. Olympus autem non est tam excelsus, ut sine subsidiis ascendere non possit, cum ejus altitudo computetur circiter trium milium metrorum³⁰.

Aliter res se habet in montibus Himalajae³¹, quibus India Thibetum-

27. APUL. *mund.* 33 (ed. Thomas, Lipsiae 1908, p. 168, 14-169, 11); cf. PS. ARISTOT. *περι κόσμου* c. 6 (ed. Lorimer, Paris [les Belles Lettres, Budé] 1933, p. 400 a, 3-24).

28. APUL. *Socr.* 8, 138-140 (ed. Thomas, *op. mem.*, p. 16, 8-16).

29. SOL. 8, 5 (ed. Mommsen, Berolini 1895, p. 62, 4-11).

30. 2917 m.

31. *Italice* Imaláia, *hispanice* Himaláya, *germanice* Hímalaja. Sed secundum linguam autochthonum latine respectu vocalis paenultima longae dicendum est *Himaláta*.

que³² terminantur et discernuntur. Illos enim montes, quibus est altitudo circiter octo milium metrorum³³, vix quisquam ascendere poterit nisi instrumentis oxygenii³⁴ subministrandi suppeditandive suffultus et instructus. Tamen est illa ratio viave scitu maxime digna, quam ingressi homines temporum antiquorum quamvis aliis causis commoti in montes excelsiores entebantur.

Ceterum in bello, cum conquisitus conscriptusque militiae³⁵ vix duodeviginti annos natus officii radiotelegraphistae³⁶ fungerer, aëroplano portatus autumnio anni MCMXLIV³⁷ tempore vespertino montem Olympum praetervolavi, spatio horae a Larisa translatus in Polycastron, qui aëroportus³⁸ ad septentriones versus a Thessalonica circiter quinquaginta chiliometra, si non fallor, abest. Quo in itinere aërio aliud aëroplānum ejusdem generis, quo milites cito transmittendi locum eundem peterent, in Olympi saxa jugaque illisum pessime praecipitatum est. Cujus sortis letalis nos quoque paucis diebus post³⁹ paene participes facti sumus, cum alae aëroplāni nostri tempestate foeda vehementer perculsi, postquam a Polycastro profecti sumus, brevi tempore ita glacie incrustarentur⁴⁰, ut, cum essemus supra montes Bulgariae, periculosius deprimeremur, postea telis Russorum vel eorum, qui cum eis stabant, petiti, quasi dii multum irati nobis, qui praeter illud aëroplānum contusum nihil sacrificii caelicolis Olympi obtulimus, crudeliter suscenserent. Tamen post iter aërium quinque semis horarum circiter mediam noctem Sopianas⁴¹ in Hungariam incolumes, licet quassati, per-

32. Latine dicendum Thibetus, i. f. vel Thibetum, i. n. Anglice dicitur Tibet, neograece Θιβέτ, germanice Tibét et Tšbet. Hoc nomen proprium non reperi latine redditum nisi in opusculo theologico, quod inscribitur: Synopsis theologiae dogmaticae fundamentalis 25, edd. Tanqueray et Bord, Parisiis · Tornaci (Belg.) (= Tournai) —Romae 1947; ibi legitur n. 576 (p. 376): A 300 ad 589, Budhismus imperium Sinense penetravit, unde in Coream et Siam transit Anno 552, ex Corea, in insulas Japoniae penetravit. Anno 638, in Thibetum ingressus est, ubi formam specialem Lamaismi induit: monachi budhistaе, lama vocati, potestate etiam civili gaudent, eorumque dux ut reincarnatio Budhaе habetur.

Cf. BACCI, Lexicon 3, Romae 1955, p. 660: Tibetana natio, Tibetana regio.

33 Cf. LATINIT. 1 (1953) 312 sq.: Consensus Everest mons.

34. = Sauerstoff, oxigène, ossigeno, oxigeno, oxigénio, oxygen, neograece οξυγόνον.

35. Cf. AUG. civ. 3, 17 ut inopia militum proletarii illi... militiae conscriberentur (= ThLL IV 374, 29).

36. radiotélégraphiste, radiotelegrafista, wirelles operator, Funker, neograece ο ασυρματιστής.

37. 17. 10. 1944, die Martis.

38. Cf. BACCI, Lexicon 3, Romae 1955, p. 20; EICHENSEER, De adventu legati Pontifici, PALAESTRA LATINA n. 174: 31 (1961) 66, adn. 4.

39. 20. 10. 1944, die Veneris.

40. Cf. ThLL VII, 1 1060, 25-51: Incrustare.

41. Sopianae, -arum f. = Fünfkirchen, Hungarice Pécs; cf. FORCELLINI, Lexicon totius latinitatis, tom. VI (onomasticon), Patavii 1940, p. 640: AMM 28, 1, 5.

venimus, unde postero die horis postmeridianis velatu minimae altitudinis⁴² Vucovarum⁴³, in oppidum Sloveniae ad Histrium situm, cum instrumentis nostris radiotelegraphicis alacres atque salvi transportati sumus. Equidem nihilominus maximopere dolui, quod nobis necessitate militari discedere caactis non licuit diutius in Graecia commorari, quam non jam vidi, quamvis ejus incolas institutaque jam pridem diligere didicissem.

Denique digressus inde non sum oblitus illarum condicionum singularium bene recordatus illos sonos suavissimos cantilenarum⁴⁴. Quales modos musicos iterum anno praeterito percepi, cum Monaci die vicesimo mensis Septembris, die Mercurii, illam pelliculam cinematographicam spectarem, quae inscribitur 'De terra somnii desideriique'⁴⁵. Harum imaginum serie et narratione Paulus Primus, rex Graecorum, in illo cinematographo celeberrimo Monacensi, cui nomen Tibŭris⁴⁶, ita commotus esse traditur, ut per ipsius ora lacrimae tacite volverentur⁴⁷. Sed quid mirum, cum ibi tam angustiae victus cotidiani difficulter laborioseque comparandi ante oculos spectantium ponantur quam species ornamentaque incomparabilia molimentorum antiquorum et amoenitates inenarrabiles naturae locorum, inter quae quidem eminet forma mirabili moles Olympi⁴⁸.

Scribebam mense Martio anni MCMLXII.

CAELESTIS EICHENSEER O. S. B.

42. = *Tiefflug*; italice *volo a bassa quota*, anglice *low-level flight*, hispanice

43. = *Vukovar*.

44. Cf. AUG. *epist.* 159, 3: «sonos suavissimae cantilena» (= ThLL III 286, 18).

45. 'Traumland der Sehnsucht'. Ceterum illas cantilenas, quas Nana Muscure scitissime cantavit, tam disco sonanti quam taenia sonigera bene conservatas interim jam saepius auscultavi.

46. *Tivoli*.

47. Cf. HIER. *epist.* 22, 35, 3 (CSEL 54, 198, 9): «tacite volvuntur per ora lacrimae et ne in singulus quidem erumpit dolor».

48. Locum principale Augustini (*gen. c. Manich.* 1, 15, 24) per Elisabetham Heyse, ceteros similes Augustini, Apuleji, Solini per Claram Chmelli et Georgium Eder inventi, quibus ex animo gratias ago quam maximas. Doluimus autem, quod ne per Thesauri quidem linguae Latinae materias uberrime collectas reperiri potuit, unde Augustinus comperisset eos, qui Olympum ascensuri fuissent summum, tenuitate aëris coactos naribus spongas adhibuisse madefactas. Similiter nos mappulis madidis utimur, cum variis de causis sanguis — quae res non raro montes excelsiores ascendentibus accidit — profluit per nares. Denique nihil restat, nisi ut suspicemur Augustinum ea, quae rettulit, ex scriptis deprompsisse auctoris cuiusdam graeci.

AMOR ET ODIUM

*Luna per aethereos conscendit candida calles,
et miti late conspergit lumine terram;
se maris, expleto cursu, sol abdidit undis,
dum zephyri blandis demulcent caerulea flabris,
et tremula sudo scintillant sidera luce. 5
Pastor oves servat nocturna pace fruentes...*

*Tempore quaeque suo. Nix candida cacumina vestit,
terraque brumali canet contexta pruina.
Aestas praeteriit; minime sol torret aristas,
arbor non affert fructus tellus nec spiceaserta... 10*

*Tempore quaeque suo. Confligunt omnia sane
quae fecunda sinu profert natura creatrix,
se minime at perimunt, semper pulcrumque bonumque
affectant, niteat rerum ut spectabilis ordo.*

*Verum aliter homines, aliterque animalia bruta: 15
unguibus intentant dure haec saevire vicissim,
acer homo incumbit mentis reperire vigore
quomodo det fratri sceleratus funera frater.*

*Semina non odii sevit natura cruenti 20
provida quae mater servat quae protulit olim.
Cur mortalis homo meditatur tristia semper
perstat et aerumnas et multiplicare dolores,
atque nociva magis conflare nefarius arma
quae populum multum prosternant tempore puncto, 25
quaelibet et perimant fecundae germina vitae?*

*Heu globus ex atomo fissa, proculus in antris
Tartareis! Fragar immanis, glomeramen et ingens
fumiferum caelo, piceum quod contegit astra:
in terris populi rancentia corpora adustis, 30
squalor ubique in agris, atque alta silentia mortis...*

*Cur tanta affecit furibunda insania mentes?
Funditur at clamor campis tectisque resultans,
montibus et clivis, pelagi quoque traicit undas,
qui cunctis iterant: «Prognati sanguine eodem, 35
desinite irarum, date tristia jurgia ventis,
diligite alterutrum, quos Crux augusta redemit».*

*Septem, quos numerant, illis ex collibus unus
(perpetuoque virens divina et luce refulgens)
Talia constanter diffundit dicta per orbem. 40*

*Ne Capitolina celsa procedere ab Arce
haec documenta puta; norunt Capitolia tantum
«parcere subjectis et debellare superbos».*

*Romuleo ex quodam cliva Imperator inermis
sollicitusque Pater, gentes qui amplectitur omnes, 45
haec proferre solet: «Populi, hunc audite volentes:
arto pax animos nexu constringat amoris,
vitae quod cunctis jucundus cursus abibit».*

Hanc etenim blandam diffundit Golgotha vocem.

PETRUS BRUNO

Andreae Avenarii de studio linguae Latinae adnotatiunculae

Magnopere ad comparandam, cum linguae cujuslibet, tum maxime latinae cognitionem interesse thesaurum acquiri et assidue augeri nominum, vocum, vocabulorum, verborum phrasium, ecquis audeat ire infitias? Atqui saepe inventas, qui hoc nomine linguam latinam calumniantur, quod penuria laboret verborum, eorum praesertim quibus in vita cotidiana saepissime indigemus. At illi confitentur non linguam, sed se sua inopia verborum laborare, qui quo tempore discenda lingua erat, illas cerebri cellulas —ubi coacervanda verba latina erant, in exercendis grammaticae praeceptis —, implebant Hannibale et Caesare et Alexandro et Diogene et Dionysio tyranno et Argonautis et pontibus in fluminibus Istro et Rheno fieri jussis, neglecta fere cotidiana et hodierna vita, cotidianis actionibus, quorum illi dicerent non inveniri in penu latinitatis nomina, nimirum pauperis, mortuae, aetati technicae prorsus imparis linguae.

Te moveat, obsecro, primariorum virorum atque Summi, qui nunc praeest rei publicae christianae, Pontificis auctoritas ut ipse experiaris linguae latinae ad hodiernum usum aptitudinem. Et hoc primum oro, sic ut statuas: nullam artem nullamque linguam sine studio atque industria comparari. Cui unquam sedenti et interdum diducenti labra ultro assae columbae datae in fauces sunt? Si ex me quaeras, quid tandem facere te oporteat ad consequendum eum linguae latinae usum, qui a te serio expectatur, a me respondebitur multum ut legas latina, plus scribas et assidue ut laquaris. Sed quoniam sine verbis neque legere quidquam, neque scribere, neque loqui potes, nunc accipe de colligendis vocabulis quid ego censeam. Hic tu principio cura ut utroque oculo aspicias illum locum grammaticae, ubi ostenditur verborum productio vel procreatio; magnus numerus vocum ultro oboritur ei, qui sapiat rationes derivationum.

Sed dicturus aliud eram. Est sane verum desiderari in lingua latina nonnulla nomina imponenda novis tam multis rebus. Quae si non sunt procusa, desidia hominum causa est, eorum potissimum, quorum mens non adeo Romam gravitet, sicut hodie dicimus. Sed multa his ipsis annis quinquaginta sunt novatae voces, aliae novandae atque ita colligendae, ut facilem habeant aditum ex utraque lingua, vernacula et latina. Obnixae tamen affirmo incredibilem optimorum verborum copiam, effodiente nullo, latitare in majoribus lexicis nostris. Sic nuperrime casu aperto Georgeri lexicis altero tomo se mihi obtulit •municeps• appellans eum, qui originem trahat ex eodem municipio

et oppido atque ipse ego. Post ergo, quem nominassem hucusque popularem meum, meus erit municeps, et femina mea municeps erit. Quænam tibi oboriuntur in mente rerum imagines, quod nomen linguæ maternæ tuæ incitat: *aeneator, burra, celtium, dolon, elixatura, foculum, garimatium, hostimentum, insessor, liquatorium, myropolium, novelletum, ostrea, petiolus, qualus, rricula, stypticum, turunda, ursar, vanga, xystra, zema*? Quæ ego nomina temere atque alphabeticè transcripsi suspicatus et tibi ea parum nota esse. Sed usitata sunt a scriptoribus latinis, et, nisi hoc loco inexpectato negotio gravatus essem, e Forcellinianis tomis significationes transcriberem. Sic te hortor tantum, ut tibi persuadeas in majoribus lexicis præberi magnam vim nominum atque verborum, quibus antiqui assidue utebantur. Ea vocabula quaerentes nos etiam hoc intellegimus paratissimos fuisse adhibere græca cum parum commode se dabant latina.

Is autem thesaurus linguæ latinæ omnibus sæculis crevit et hodie crescit. Non dico, quam ingens verborum copia ad linguam latinam mediâ aetate accesserit, quæ nomina, etiam optimæ notæ, a doctis viris in tractandis artibus suis excogitata sint. Botanica et zoologia, physica universa et præsertim medicina semper progrediens, quam commoda verba conflaverint, nemo non videt. Marianus in suo lexico itemque nuper Badellinus etiam recentia multa latine proferre coeperunt. Ducangius vero in encyclopaediâ, cui titulus *Petit Larousse*, jure et merito dicitur glossarii inaestimabilis latinæ mediævalis seræque auctor. Plurima etiam hodie conflata sunt et formantur vocabula latina, sed in variis commentariis et libris dispersa jacent. Quam multa ex eo genere in suo lexico Baccius, qui nunc purpuratus Pater est, adeuntibus propinat!

Mihi certe persuasissimum est omnibus, qui cum Romano Pontifice sentiunt de latina lingua, in summis votis esse, ut apparentur lexica latina, in quibus recentissimarum rerum nomina et nova actionum verba nullo moræ dispendio repetantur. Talia igitur vocabularia respondeant quid sit italicum hoc, latine. Nam mihi videtur proficiscendum esse ab aliqua linguarum hodiernarum eamque esse commodissime italicam linguam, utpote quæ sit latinæ propinquior et verbis ditior. Postea singularum nationum viri ad communem thesaurum aditum faciant disponentes alphabeticè voces linguæ propriæ et subdentes respondentia vocabula vetera et nova. Quam vero expedite procederent his appositis adjumentis, qui etiam recentissima interpretari vel tractare debeant! Neque quidquam ejusmodi adjumentis detraheretur de utilitate atque adeo necessitate lexicorum lexicographico apparatu adornatorum, quo scilicet apparatu ostenditur, quo sensu scriptores latini verba vocesque linguæ latinæ acceperint, adhibuerint, tradiderint.

Postremo hoc tibi eram dicturus me non eum existimare scire latine, qui sciat expedite quam plurimarum rerum, a cedro Libani ad nascentem ex muro hyssopum, proferre verba, aut decantare grammaticæ formas et regulas cum

exceptionibus, sed qui ita tractet et quasi mulceat linguae materiam, quemadmodum factum esse videmus a praestantissimis ingeniis eorum examinantes scripta et ea exempla usus, quae in phraseologicis lexicis proponuntur, saepe etiam notatis locis librorum, unde ea petita sunt. Transcribo, ut etiam clarius videas, quid loquar, hic e Georgis lexico exempla usus hujus nominis quod est 'palaestra'. Illustrans vim huic nomini tributam a scriptoribus, a Cicerone praesertim, haec excerptit et quo accuratius doceat usum significationemque, quaedam etiam interpretatur germanice horum locorum: palaestra dicitur 'nitida et uncta', dicunt 'palaestrae operam dare', 'palaestram discere', 'periculum facere in palaestra', sunt 'palaestrae periti', quidam 'ingenii sui palaestram exercent', 'quidam non tam armis, quam palaestra institutus est': et est sensus: ille suo dicendi modo monstrat non se foro et judiciis ad dicendum informatum esse, sed scholis et disciplina; habuit vires agrestes et horridas, sine nitore ac palaestra; 'orationi ejus numerus quasi quandam palaestram et extrema lineamenta attulit': 'utemur ea palaestra'.

Jam si quis existimator exercitatus est vocabulorum latinorum, si cui loquenti vel scribenti facile subeat cogitationum suarum elegantior eloquendi ratio, si cujus oratio antiquorum composita orationibus antiquorum colorem referre et aeque sonora esse videatur: eum denique ego judico scire latine. Frustra tamen hos Latii cives nascituros esse speramus minuendo scholarum latinarum numerum, opprimendo memoriam puerorum alieno furfure, hoc est nimia materiarum varietate, delibando non cognoscendo scripta latinorum: Latii cives evadimus assiduo improboque labore.

Hic tu te ipse interroga: Heus, tune audebis Latii te civem profiteri paene elinguem? Ego certe puer me futurum somniabam, senex, ne illudere videar veritati, me esse cogor negare.

NOVA ET VETERA

CULINA HODIERNA

Elisabetha¹, Joannis Gundisalvi uxor, famulam habet Mariam nomine, quae primo mane macellum² adit obsonatum³, et ibi, quae ad jentaculum, ad prandium, ad cenam opus sunt, emit.

Ad olerum venditores⁴ accedit ab iisque brassicas⁵, spinacias⁶, fabas, lactucas,

1. ELISABETHA [*Isabel - Elisabeth - Elisabetta*]: cfr. PALAESTRA LATINA 21 (1951) 32, et EGGER (*Lexicon nominum virorum et mulierum*, Studium, Romae 1957, s. v. *Elisabetta et Isabella*): «Ab aliis non adjungitur postrema syllaba latina (Elisabeth)». — Jo. Lud. Vives (*op. omn.*, Valentiae 1782, t. I, p. 285) saepius habet: «Isabellula».

2. MACELLUM [*mercado (de toda clase de alimentos) - marché - mercato*]: 'est locus in quo obsonia venduntur'; hujusmodi loca varia primum fuerunt (forum olitorium, boarium, piscarium...), quae in unum contracta appellatum est macellum (cfr. FORCELLINI, s. v.).

3. OBSONATUM [*comprar las provisiones - acheter les provisions - comprare il companatico*]: obsonare est 'obsonium parare, cibos in cenam conquirere'; obsonium vero est 'quicquid cibi gratia paratur et coquitur praeter panem et vinum'; cfr. «Obsonatum pergam» (PLAUT. *Mil. glor.*, 3, 1, 154).

4. OLERUM VENDITORES [*verdulerio*]: olus est 'omnis herba sativa, quae in cibum hominum venit'; hic fuerat

cottidianus antiquorum victus, cui tamen postea carniū ac piscium usus est additus. — Vives (*op. omn.*, t. I, p. 290) pro olerum venditrice habet «(vetula) oluscularia».

5. BRASSICAS [*col - chou - cavolo*]: olus multiplicis generis, caule et magnis foliis.

6. SPINACIAS [*espinaca - épinard - spinace*]: vox ab hispanico-arabico **ispindh* proxime deducta, a Persis *ispōndh* vocata, ab eisque in usum inducta (cfr. J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, s. v.); a Linnaeo «spinacia» appellatur. — Ab O. Badallino (*Dizionario italiano-latino*, Torino 1961, s. v. *spinace*) praeter *spinaciam* additur «blitum» (et «blitus»), quae tamen vox hispanice significat *bledo* (cfr. *Parte práctica de Botánica del caballero Carlos Linneo...*, Madrid 1784, t. I, p. 28: «Blitum capitellis spicatis terminalibus... *Bledo con cabecillas espigadas y terminales*; et alia multa ibidem); eaque herba (*blitum*) aliam significat quae a Forcellinio describitur.

betas⁷, cināras, melongenenas⁸, asparagos, napos, corōtas⁹, apia¹⁰, allia¹¹, caepas¹² ... emenda requirit; deinde ad tabernam condimentariam¹³ et esculentorum¹⁴ se confert, et sal, piper¹⁵, sināpi¹⁶, crocum¹⁷, anisum¹⁸... a venditore postulat et mentam — nam «grato menta, inquit Plinius (N. H. 19, 8, 47 (160) mensas odore percurrit in rusticis dapibus» —. Cum vero dies sit pisculentus¹⁹ lanienom²⁰ et tabernam porcina²¹ praeterit et in foro piscatorio²² conchilia, thynnum²³, salmonem, asellum seu gadum merlucium, tructas, locustas²⁴, carpas, anguillas²⁵ mercatur.

7. BETAS [*acelga - bette - bietola*]: «genus oleris, quod omnium hortensiorum levissimum esse Plinius scribit» (*Nat. Hist.*, 19, 8, 40 (132)).

8. MELONGENAS [*berengena - aubergine - melanzana*]: ab arabico *badingāna*, quae vox a Persis desumpta est.

9. CAROTAS [*zanahoria - carotte - carota*]: genus oleris...; estque praedulci radice; quae saepius aptiusque fortasse *pastinaca* dicitur (cfr. FORCELLINI, s. v. *carota* et *pastinaca*).

10. APIA [*apio - ache, céleri - appio*].

11. ALLIA [*ajo - ail - aglio*]: genus oleris quo in condimentis saepissime famulae culinariae utuntur.

12. CAEPAS [*cebolla - oignon - cipolla*]: cujus praecipua genera sunt «condimentarium» et «capitatum».

13. TABERNAM CONDIMENTARIAM [*abaceria - épicerie - spezieria*]: Plinius de caepis condimentariis loquitur (*Nat. Hist.*, 19, 6, 32 (105)); et condimentarius is dicitur 'qui condimenta parat aut vendit'.

14. TABERNAM ESCULENTORUM [*tienda de comestibles, de ultramarinos*]: esculenta sunt quae eduntur, esui apta.

15. PIPER [*pimienta - poivre - pepe*].

16. SINAPI [*mostaza - moutarde - senape*].

17. CROCUM [*azafrán - safran - zafferano, croco*].

18. ANISUM [*anis - anis - anice*]:

adhibetur passim in ciborum condimentis.

19. PISCULENTUS: est 'piscibus abundans'. — J. L. Vives diem pisculentum dixit (*op. omn.*, t. I, p. 295: *Refectio scholastica*), 'quasi piscibus plenum', quo die piscibus tantum vescimur (cfr. *ibidem*, paulo infra: «diebus queis carne fas non est vesci»).

20. LANIENA [*carniceria - boucherie - macelleria*]: 'macellum seu officina in qua laniantur ac venduntur carnes'; a Varrone et ab aliis dicitur etiam «taberna carnaria».

21. TABERNA PORCINA [*tocineria - charcuterie*]: porcinum dicitur quod 'est ex porco, aut quod ad porcum spectat'.

22. FORO PISCATORIO [*pescaderia - poissonnerie - pescheria*]: «piscatorium forum» habet Columella (*R. R.*, 8, 17, 14); interdum «piscatorium» tantum dicitur, et etiam «forum piscarium» (et absolute «piscaria»; Vives (*op. omn.*, t. I, p. 295): «Piscis recens aliquis, si sit in foro piscario».

23. THYNNUM [*atún - thon - tonno*]: est 'ingens piscis marinus ex genere cetaceo, animal pariens, ut balenae...'; scribitur etiam *thynnus*.

24. LOCUSTAS [*langosta - langouste - aragosta*]: 'piscis marinus ex genere eorum qui carent sanguine, crusta



A macello tandem redit, et nunc —uti vi-des— in culina regnat²⁶; ibi omnia munda sunt, nam superiore nocte suo quaeque loco sunt digesta. Ad parietem sartāgo²⁷, craticula²⁸, urceus²⁹, patīna assatoria³⁰, patella³¹, et infra manutergium³², et pannus tersorius³³ pendent.

Famula Maria vestem induit semimanicatam³⁴, quam ne maculis inquinet, cinctum³⁵ sibi imponit. Rem

fragili obiectus, reptantis modo fluitans, cornibus, quae sunt propria rotunditate praepilata, porrectis. Vivit petrosus locis' (cfr. FORCELLINI, s. v.).

25. ANGUILLAS [*anguila - anguille - anguilla*]: sic appellatur ab anguis forma.

26. IN CULINA REGNAT: regnare urbane dicitur de iis qui in aliqua re plurimum possunt: «Quoniam equitum centurias tenes, in quis regnas» (Cic. *Fam.*, 11, 16, 3); «Πατητικόν... in quo una regnat oratio» (Cic. *Orat.*, 37, 128).

27. SARTAGO [*sartén - poêle - padella*]: 'vas culinarium in quo cibi fringuntur: vel aliud quidpiam liquefit, aut torretur' (cfr. FORCELLINI, s. v.).

28. CRATICULA [*parrilla - gril - graticola*]: Badallino addit «crates terrea».

29. URCEUS [*cazo*]: est 'vas ansatum, plerumque fictile, ad varios usus et praecipue ad ministrandam aquam'.

30. PATINA ASSATORIA [*rustidera*]: patina est 'vasis genus quo utebantur ad condiendos et coquendos pisces et

alia' (FORCELLINI, s. v.); in lexicis habentur «assator, assatura», neque absonum est igitur adjectivum «assatorius, a, um».

31. PATELLA [*padilla, (paellera)*]: est 'vas fictile aut aereum cibis coquendis, tum mensae inferendis idoneum.

32. MANUTERGIUM [*toalla - serviette - asciugamano*]: 'quod a tergendis manibus dicitur' (cfr. ISID. *Orig.*, 19, 26, et PAL. LAT. 29 (1959) 31); dic etiam, si placet, «lintheum».

33. PANNUS TERSORIUS [*pañõ de cocina (para limpieza)*]: qui etiam «tersorium» dici potest, id est 'pannus seu instrumentum ad tergendum': quae vox in Glossariis invenitur (cfr. MIR, *Nova et vetera*, opusc. p. 74, 76).

34. SEMIMANICATAM [*con media manga*]: multae sunt voces compositae ex «semi-», quae 'dimidium' significant: «semiamictus, semiapertura, semianimis, semicinctium, semicirculus», cet.; ex quibus patet «semimanicatus» peridoneam esse vocem in latinum induendam.

vero culinariam ita parat: sulphuratorum capsellam³⁶ accipit, ignem excūlit, quadrulam compressi carbunculi³⁷ accendit, assulas³⁸, ramenta³⁹ lignorumque scapos⁴⁰ paulatim immittit: ignis exstructus est.

Habet praeterea parvam culinam gaso butano⁴¹ actam ac vel authepsam electricam⁴². Sed culina oeconomica⁴³, ut ajunt, famulis focariis maximo adjumento est, nam in ea duo sunt foculi⁴⁴, lamina aerata continenter ardens, infra duo saltem furni⁴⁵ reconduntur, ubi esculenta perpetuo sunt calida aut paulatim assantur.

—Cfr. tamen Vives (*op. laud.* t. I, p. 325): «Cedo mihi thoracem illum dimidiis manicis»...

35. CINCTUM [*delantal - tablier - grembiale*]: est 'vestis infra pectus corpus ambiens, et ad genua pertingens', (cfr. FORCELLINI et RICH); dicitur etiam «cinctum»; Badallino habet: «cincticulus».

36. SULPHURATORUM CAPSELLAM [*caja de cerillas - porte-allumettes - scatola di fiammiferi*]: cfr. quae de his saepius diximus in PAL. LAT. 28 (1958) 411; 29 (1959) 145; 30 (1960) 162, ubi habes: «sulphuratorum, cereolorum theca, capsella».

37. QUADRULAM COMPRESSI CARBUNCULI [*pastilla de carbón*]: quadrula est 'res quaelibet quadrata figura'; sed interdum est 'quarta pars, et universim frustum, fragmentum cujusque rei' (cfr. FORCELLINI, s. v., 2.3), carbunculus est 'parvus carbo'; «compressus» significat rationem qua fiat seu densetur illa carbunculi quadrula.

38. ASSULAS [*astilla - scheggia*]: est 'segmentum seu fragmentum quod e ligno aut asse, aut marmore, aut alia materia in longitudinem dissecatur' (FORCELLINI, s. v.).

39. RAMENTA [*viruta - copeau - truciolo*] est 'tenuis particula quae radendo aufertur'.

40. LIGNORUM SCAPOS [*tronco*]: 'dicitur de crassiore arborum trunco'.

41. GASO BUTANO: de gaso PAL. LAT. 27 (1957) 33; 86; 88; (1958) 410.

— *Butanum*: vulgatum nomen.

42. AUTHEPSAM ELECTRICAM [*cocinilla, ñornillo eléctrico*]: veterem illam vocem ad rem nostram aptari posse arbitramur; quae quidem parum diverso modo a Forcellinio et a Rich describitur; sed id quidem certum, ut ex voce patet — quae ab αὐτός, *ipse*, et ἔψω, *coquo*, *elixo* dicta est—, instrumentum fuisse culinarium quod 'ipsum per se coquebat'.

43. CULINA OECONOMICA [*cocina económica*]: qua oeconomiae et carboni parcutitur et ideo *oeconomica* vocatur; *oeconomicus* est 'ad oeconomiam, hoc est ad rectam rei familiaris curam et distributionem pertinens'; ad quam rectam distributionem ipsa parsimonia plurimum spectat.

44. FOCULI [*fuego*]: focus - focus ponitur 'pro vase ferreo, aeneo, aut fictili in quo cibi coquuntur...; dicitur etiam de igne aut flamma' (FORCELLINI, s. v. *focus*).

45. FURNI [*horno*]: furnus — praeter locum in quo panis coquitur — est 'quicquid calefaciendo inservit' (FORCELLINI, s. v.).

46. THERMOSIPHON [*termosifón - thermosiphon - termosifone*]: aptissima vox

In superiore parte thermosiphon⁴⁶ est appositus e quo aqua calida effluit. Fumus per fumariolum⁴⁷ foras emittitur.

Maria hoc fere modo cibos apparare consuevit: mane jentaculum componit, in quo pueri chocolatam⁴⁸, cafēum cum lacte sacchāro conditum, frustula panis tosti, butyro aut cidoniato intincti, sumunt; saepe etiam orbiculos panis⁴⁹

qua illud exprimitur instrumentum quo aqua calefit et per tubos ducitur (θερμὸς-σίφων).

47. FUMARIOLUM [*chimenea (tubo) - chéminée - fumaiuolo*]: fumarium - fumariolum id est 'locus in quo fumus colligitur', et foras expellitur.

48. CHOCOLATAM [*chocolate - chocolat - cioccolatta*]: de voce *chocolata* haud pauca scripta sunt; ac licet praestantissimis viris, qui latine scripserunt et normas vocesque novae latinitatis tradiderunt (ut Vallauri, Morcelli, Card. Bacci atque), maximam debeamus et —ut par est— exhibeamus reverentiam, ab his tamen in hoc cibo potuve latine reddendo recedendum putamus. Quis enim nos latine loquentes hac nostra aetate intelletet cum dicamus «modo sumpsi concretionem - coagulum - quadram - crustum - crustulum - pulvem - cuppediam - bellaria ex faba mexicana, aut theobromatis concretionem - coagulum - quadram» cet.? —quae omnia a Card. Bacci in suo proponuntur lexico—: neque probanda sunt «cacaotica» (BIONE), nec «quadrae caocaticae» (MARIANO), similia. — Sed cibum illud potumve *chocolatam* latine nominemus, ut superiorum aetatum scriptores prudenter fecerunt, —ita Jo. Franciscus Ulpianus, cujus scitissimum carmen de *chocolata* Romae typis expressum est anno 1722, ubi legas:

*Haec ad delicias, nostrique ad gaudia
[gustus*

Venit ab occiduis usque petita plagis.

Ut patuit primum coepit Chocolata vocari,

Et simili semper nomine gaudet adhuc.

(Cfr. *Alma Roma*, 28 (1941) 113).

Neque ex uno alterove vocabulo novo et ex necessitate ficto inficitur nostrae aetatis latinitas, neque pristina integritas adeo inculcanda est ut «obscuri fiamus» et rem ipsam exprimendam ignoremus aut perperam definiamus et nominemus, neque haec novandi vocabula ratio in Folengianam, sed in vivam et perspicuam nos ducet latinitatem.

Conferas quae scite Aloisius Guercio scripsit (*Feriae Anticollenses*, Certamen Capitulinum III, 1953, p. 26, quaeque a Card. Bacci in suo lexico referuntur) et quae nuper P. Ae. Springhetti in *Lexico Linguisticae et Philologiae*, (Univers. Gregoriana, Romae 1962, p. VII) de similibus verbis defendit. — Ceterum legas, quaeso, quae P. N. Mangeot in *Vita Latina*, m. septembri 1962 de *chocolata* dissearit; quod vero ad etymon spectat, si verbum penitus investigare et enucleare vis, adi lexicon hispanicum J. Corominas (*Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, s. v. *chocolate*). — COGNASSO habet: «cocholatium».

49. ORBICULOS PANIS [*panecillo*]: orbiculus est 'parvus orbis, res in circulum conformata, quasi globulus': qua ratione et de illis panicellis dici potest; dici etiam, si mavis, *pastillum*.

quibus tenuissima perna⁵⁰, farciminis laminula⁵¹ aut casei immissa est.

Meridie —interdum hora prima post meridiem— mensas instruit ad prandium in quo —pro temporum varietate— infert varia fercula seu missus, in quibus praecipua sunt: gustatio, potorium juris⁵², simila⁵³ aut sorbitio ex pasta⁵⁴; deinde cicera, phaseli, pisa, tubera solana fricta vel assa; quibus adduntur caro jurulenta⁵⁵ vel assa; bubula lardo vinoque condita⁵⁶; artocreata⁵⁷; laminulae murtati⁵⁸, tomaculi⁵⁹, tomacinae⁶⁰ aut lucanicae segmentum⁶¹; alias vero, pasta tubulata jure

50. ORBICULOS PANIS QUIBUS TENUISSIMA PERNA IMMISSA EST [*sanwich de jamón*]: Bacci, Badallino, alitque «pastillum fartum» optime quidem proponunt, cui addas oportet perna: «pastillum perna fartum».

51. FARCIMINIS LAMINULAE [*ronchas de embutido*]: cfr. PAL. LAT. 32 (1962) 281.

52. POTORIUM JURIS [*taza de caldo*]: potorium est 'vas potorium —id est ad bibendum—, poculum, tazza' (cfr. FORCELLINI, s. v.).

53. SIMILA [*sémola - semoule - semola*]: dicitur etiam *similago* et *siligo* (farina ex tritico candidissimo). — Vives habet *similago* (cfr. *op. laud.*, p. 295 et quae in infima pagina adnotantur); cfr. etiam Badallino.

54. SORBITIO EX PASTA [*sopa de pasta*]: vulgo dicitur «sorbitio» pro *sopa - minestra*, cum sit a sorbendo, in eaque jusculum, 'id est cibi fortioris portionem, multa aqua maceratam, sumamus' (cfr. FORCELLINI, s. v.). — Pasta vero (gr. *λάστη*) est 'farina aqua subacta et in massam conversa'; cfr. Bacci, Badallino, cet.

55. CARO JURULENTA [*carne en salsa*]: jurulentus est 'cum jure coctus, juris plenus'; eadem significatione habetur «jussulentus», quae vox saepius a J. L. Vive usurpatur (*op. laud.*, t. I, p. 396).

56. BUBULA LARDO VINOQUE CONDITA [*estofado de ternera - étouffée de veau - stufato di bue*]: cfr. O. TEMPINI, *Manuale di conversazione latina*, 5 ed., 161; PAL. LAT., 21 (1951) 33-34.

57. ARTOCREATA [*albóndiga - boulette - polpetta*]: 'edulium carne et pane constans'; cfr. TEMPINI, *Manuale*, p. 161; BADALLINO alia quoque habet (*insicium, globus, offa, ofella*), at «artocreas» significantius mihi videtur.

58. LAMINULAE MURTATI [*rodaja, roncha de mortadela*]: murtatum 'absolute est genus quoddam farciminis myrto conditum, unde apud nostrates vulgo *mortadella* ... (cfr. FORCELLINI, s. v. *myrtatum*: quod ita quoque scribitur). Quae vox proponitur etiam a Cognasso, Bacci, Badallino.

59. TOMACULI [*salchichón - saucisson - salciccione*]: tomaculum est 'genus edulii quod fere fit ex jecore, abdomine, testiculis et vulvis suum minutim concisis et jam semicoctis, infusis ovīs crudis et caseo optimo et liquamine, pipere, aniso, gingibere tegiturque omento suillo' (FORCELLINI, s. v.).

60. TOMACINAE [*chorizo - salsicciotto*]. genus farciminis similis tomaculo, ex carne imprimis porcinae factum.

61. LUCANICAE SEGMENTUM [*tajada de longaniza*]: est 'genus farciminis

illita aut caseo conspersa⁶², oryza Mediolanensium aut Valentinorum more condita, asellus seu gadus merlucius frictus acetoque perfusus⁶⁴. Quibus expletis, haustoque a convivis vino, famula lances fructuarias⁶⁵ apponet cum prunis, armeniaticis, persicis, melonibus, citrullis, arienis⁶⁶ aliisque.

Adulescentes ad vesperam saepe merendam seu antecenium⁶⁷ interponunt, quae ex pane constat et ficis aridis, palmulis seu caryōtis⁶⁸, uvis passis, amygdālis, avelanis, aut chocolatae quadrula aut ex pane mellito. Joannes Gundisalvus merenda parum delectatur; gustatiunculam⁶⁹ vero aut absinthiten⁷⁰ amat, quam saepe ad famem excitandam sumit.

ex porcinis carnibus concisis', quod Romani a Lucanicis populis didicerunt; cujus confectio apud Forcellinium legas. — Segmentum est 'pars, particula quae ex aliqua re secatur'.

62. PASTA TUBULATA JURE ILLITA AUT CASEO CONSPERSA [*macarrones en salsa o con queso*]: cfr. PAL. LAT. 32 (1962) 280, ubi de «pasta tubulata».

63. ORYZA MEDIOLANENSIVM AUT VALENTINORVM MORE CONDITA [*arroz a la milanese o a la valenciana*]: in editione principe operum Jo. L. Vivis a Gr. Majansio distributa et ordinata semper «valentinus» legitur

64. ASELLVS SEU GADVS MERLUCIVS FRICTVS ACETOQUE PERFVSVS [*merluza a la vinagreta*]: de asello cfr. PAL. LAT. 32 (1962) 281.

65. LANCES FRUCTUARIAS [*frutera*]: fructuarius est 'qui fert fructus aut ad fructum pertinet', et de multis dicitur; hic ad lancem refertur. — Vives dixit quoque et *pateram*: «Cedo nobis pateram illam» (*op. laud.* t. I, p. 352); et *tympanum*: «Tympanum cum cerasis» (*Ibid.*, p. 351); cfr. etiam PLIN., *Nat. Hist.*, 33, 52, 11 (146).

66. ARIENIS [*banana, plátano - banane - banana*]: cfr. PLIN., *Nat. Hist.*, 12, 6 (12); *Latinitas*, 6 (1958) 58; BACCI, *Lexicon*, ubi cum A. Zapata etiam

«bananus» proponitur. — LINNAEUS: «Musa paradisiaca»; cfr. *Nova et vetera*, p. 74, 76.

67. MERENDAM SEU ANTECENIVM [*merienda - goûter - merenda*]: «Merenda est cibus qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda, et proxima cenae, unde et antecenia a quibusdam vocantur» (cfr. FORCELLINI, s. v. *antecentum*). — Vives (*op. laud.*, t. I, 295): «Merenda est, seu (si id mavis) antecenium, aliquid panis et amygdalarum...».

68. PALMIS SEU CARYOTIS [*dátil - datte - dattero*]: caryōta est 'fructus palmae, qui et palmula latine dicitur'; cfr. «Caryotas da mihi aliquot ad edendum...» (VIVES, *op. laud.*, t. I, 258).

69. GUSTATIUNCULAM [*aperitivo*]: est parva gustatio seu gustulus, quo aliquid cibi sumitur.


70. ABSINTHITEN [*vermut - vermout - vermut*]: absinthites est 'vinum absinthio conditum'; cum gustationem seu apertivam illam potionem vulgo *vermut* appellemus quia in ea absinthii praecipua sit pars (*wermut* est vox germanica = «absinthium» = *ajenjo*), eadem ratione latine «absinthiten» vocare possumus; dic si mavis, «absinthiōtum, gustationem absinthiō-

Nocte, laboribus expletis, omnes ad cenam accedunt: lato paropside continentur acetaria, lycopersica sale conspersa, oleo irrorata acetoque intincta; deinde tubera solana imponuntur elixa cum brassicis capitatis⁷¹, ferculum piscis aut carnis cum spinaciis... Et ova quae multiplici ratione parantur, sunt enim sorbilia, mollia seu elixa, durata, assa, fricta, mixta⁷².

Aliquando diebus sollempnioribus Elisabetha placentam promet ex pomis⁷³, pateram cum suavillis, lagānis, artolaganis, laterculis⁷⁴, quibus tandem cena absolvi-
tur.

Ubi famula Maria cenaverit, catinos, scyphos, ligulas, fuscinulas mundabit, absterget suoque loco recondet.

Juxta culinam —in ipso fortasse triclinio— bellulus prostat abacus in cujus loculamentis⁷⁵ varia scyphorum ac poculorum genera collocabit. Supra abacum



cam, potionem absinthiātam» (de his vocibus cfr. FORCELLINI et *Latinitas* 1 (1953) 156); neque opus est tot adhibere verba: «Vinum absinthio medicatum, conditum» (BACCI).

71. BRASSICIS CAPITATIS [*repollo - chou pommé - cavolo cappuccio*]: cfr. Forcellini, Badallino.

72. OVA SORBILIA, MOLLIA SEU ELIXA, DURATA, ASSA, FRICTA, MIXTA [*huevo para beber, pasado por agua, duro, asado, frito o estrellado, en tortilla*]: cfr. TEMPINI, *Manuale...*, p. 161; PLIN., *Nat. Hist.*, 29, 3, 11 (44): «ova fricta

ex oleo»; Vives, *op. mem.* t. I, p. 296: «Ova in libum commista» (= *tortilla*).


73. PLACENTAM EX POMIS [*tarta de fruta*].

74. PATERAM CUM SUAVILLIS, LAGANIS, ARTOLAGANIS, LATERCULIS ALISQUE CUPEDIIS [*bandeja de pastelillos, mantecadas, hojaldres, carquiñolis y otras golosinas*].

75. LOCULAMENTUM [*estante*]: 'loculorum plurium distinctorum series..., cavum, in quo aliquid recipitur et includitur'.

nonnulla vasa ornatus causa imponere solet: fructuum tympanum, lancem, pupamque⁷⁶ vides.

Maria flores amat et e viridario florum fasciculum cottidie conformat, quos in testa⁷⁷ reponit; ac dum tibialia⁷⁸ ac lintea sarcit ad mensam in sella sedet.



76. PUPAM [*muñeca - poupée - bambola, pupattolo*]: pupa est 'imaguncula puellaris, ex linteo insuta, tomento infarta, vestibus amicta, quibus puellae in prima pueritia lusitare solent' (cfr. FORCELLINI, s. v. *pupa*).

77. FLORUM TESTA [*jarro de flores*]: testa 'est terra vel argilla cocta vel aliquid ex terra cocta in formam aliquam compositum', hinc ad varia vasa refertur.

78. TIBIALIA [*media - bas - calza*], in qua voce latine reddenda plurimi conveniunt: BIONE (*Vocabolario della l. lat.*). E. DECAHORS (*Dictionnaire fr. - lat.*, Hatier, Paris, 1957), H. HOELZER (*Le latin en poche*, Garnier, Paris, 1959), MENGE-MUELLER (*Langenscheidts Tas-*

chenwörterbuch, Berlin - Schöenberg, 1955), DUMAINE, (*Conversat. latines*³), MARIANO, VALLAURI, COGNASSO, BACCI (*Lexicon*), MIR, (*Nova et vetera*, opusc. Barcinone 1950, p. 19-20), VIVES (*op. laud.*, t. I, p. 283): qui omnes «tibiale-tibialia» proponunt; eamque vocem Suetonius adhibuit (*August.* 82) ad hoc vel simile tegumentum significandum, cujus est sensus 'id quod ad tibiam spectat, aut ipsius tibiae vel cruris tegumentum'. Sunt tamen qui alia verba exhibeant — interdum una cum *tibiale*—, ut «caliga» (VALLAURI, MALLOFRÉ, *¿Habla V. latin?*, Gili, Barcelona, p. 24), «fasciola» (BIONE), «fascia» (DECAHORS)...

PER ORBEM

Patris Aurelii Espinosa Polit, S. J., lugendam mortem, quae ipsa in urbe Quito, ubi natus est, die secundo mensis Ianuarii superiore anno 1961 accidit, lectoribus —forsitan eventus infausti ignaris— dolore maximo oppressi nuntiamus. Quo fit ut summo in dolore litterae latinae sint et graecae litteraeque praesertim Aequatoriana, quia scriptorem et bonarum litterarum existimatorem peritissimum, ingeniumque omni doctrina excultissimum, decus verumque Aequatoriae ornamentum —quam celebritate et fulgenti gloria cumulavit— perpetuo perdidimus.

Nunc cl. scriptoris vitae resonemus laudes.

Natus anno 1894, cum quintum agebat annum, in Europam cum parentibus profectus est. Baccalaureatus Studii in Gallia, Helvetia, Belgio, Britannia, gymnasiis autem universitariis et theologicis in Hispania expertis, classica studia ut emittretur ampliora Cantabrigiam (in Britannia) petiit. Quibus disciplinis perfectis, anno 1924 —tredecim annos postquam in Religionem Societatis Jesu Ingressus erat—, Sacro Sacerdotio Initiatus est.

In patriam Aequatoriam, anno 1928 reversus, strenue et constanter in bonis litteris tradendis, in litteris hispanicis excolendis et in scriptoribus latinis et graecis vertendis, plurimos consumpsit annos.

Duo Aequatoriana Instituta fuerunt quae maxime a P. Aurelio Espinosa acceperunt beneficia. Quorum primum, Institutum Majus litterarum classicarum Cotocollai conditum, ubi Bibliothecam illam inclitam Aequatorianam constituit; alterum Universitas Catholica Aequatoriana quam, ab anno 1946 quo

condita est, honestissime moderatus est.

Anno 1933 Academiam Aequatorianam inivit, et paulo post insigne Hispaniae, Columbiae, et Mexici Academicarum membrum creatus est.

Quid nunc de ejus operibus —omnibus litterarum humanarum cultoribus notissimis— quae ejus ingenium fecundissimum attulit? Ex libris, qui ad studia Humanitatis classicae spectant, hos praecipue laudibus decoramus:

Estudios Virgilianos, 1931; *Virgilio: el poeta y su misión providencial*, 1932; *Horaciana*, 1936; et volumina hispanice reddita: *Sófocles: Edipo Rey*, 1935-1945; *Sófocles: Edipo en Colono*, 1936; *Sófocles: Antígona*, 1955; *Lírica Horaciana*, 1953, cet. De historia et Aequatoriano cultu haec tantum opera nuntiamus: *Reseña histórica del Himno nacional Ecuatoriano*, 1948; *Temas Ecuatorianos*, 1954; *Olmedo en la historia y en las letras*, 1955. De poëst: *Alma adentro*, 1938; *En el mismo laud*, 1941; *Estaciones y cristofantías*, 1944-1945.

Beatissimo somno et in sempiterna pace Christi cl. P. Aurelius Espinosa Polit —cujus laudes in omnium ore perpetuo erunt— quiescat.

Occasione aurei professionis jubilaei reverentissimi P. Petri Schweiger, Supremi Congregationis Claretianae Moderatoris, data, quod Romae die octavo mensis Septembris celebratum est, sodales plurimi sive litteris sive dignitate praeclarissimi, sub lemmate «*Congregavit nos Christi et Patris amor*» conjuncti, in Urbem ut Patri Schweiger —de Congregatione optime merito—

dilectionis atque gratulationis sensus exprimerent atque aperte significarent, convenerunt.

R. P. Josephus M.^a Mir, *Palaestra Latinae* Moderator, qui Romam venerat, ad festum hoc commemorandum et agendum invitatus est atque jucundissima propinatione Servo Dei Patri Emmanueli Jové, C. M. F. — «sanguinis testi» — Patrisque Schweiger socio, dicata, fratres omnes ibi congregatos donavit.

Ex ea, quae «*Pium Mnemosynon*» inscribitur, pauca haec tantum desumamus verba:

«Fuit ille vir parvo corpore, animo magnus, ingenio uni rei deditus qui vestigia et verba Beati Patris secutus linguam latinam excoluit tunc cum illa prostrata vilisque jacebat; hancque discipulis tradidit, quasi humanitatis facem, futuris aetatibus perpetuo servandam.

At ille suo praeclarissimo munere in Dei Ecclesia functus, adhuc loquitur, hoc in primis die quo Aureum Professionis Jubilaeum Reverentiae Tuae laeti Romae tecum celebramus; atque in hac tanta fratrum adstantium corona in qua, quasi pulcherrima in viridario rosa, Eminentissimi Patris praefulget Purpura, en aspice illum Christi testem — quondam in Professione socium —, qui nunc quasi e mortuis redivivus rubra stola palmaque victrice decoratus hujus discipuli ore tecum loquitur, tecum laetatur, tibi gratulatur postulatque a Deo ut incepta Tua Matrisque Congregationis — quibus nobis ad ampliora, ad altiora, ad perfectiora semper entendum

est — hoc faustissimo die atque in plurimas saeculorum aetates cumulatissime fortunentur atque compleantur.

En, curiosi lectores, fraternae illius sollemnisque cenae ordo ab ipso P. Josepho M. Mir exaratus, omnibusque convivis, machina multiplicativa expressus distributus:

1. Jusculum consummatum
2. Gustatoria: perna salta et dulcis
farciminis lamnulae
ovi durati particulae
lolligo et cammarus
olivae refertae
quadrae casei
cucurbitula, lycopersicum
capsicum annuum, melongena
3. Oryzae patella, Valentinorum more
4. Asellus seu gadus merlucius, Catalaunico more
5. Pullus gallinaceus assus
6. Bellaria: fructus vartii, opus pistorium
7. Potio gelata — campanicum — cerevisia
7. Pocillum cafei
Prosit!

Congressus de Latina Lingua per orbem celebrantur. Ineunte mense Majo brevis Conventus Romae actus est in quo de viis seu rationibus quae apud gentes, britannico sermone utentes, adhibentur, disputatum est. Illustris latinarum litterarum cultor P. Josephus Bitar, V. D. M., praeter alia multa quae agitata sunt, rationem illam «*Girard*» dictam proposuit qua a scriptoribus christianis atque a precibus latine exaratis ad classicos scriptores proceditur. Cum juxta hanc viam, plurimum memoria valeat, textus tum a Professore tum ab alumnis memoriter dicuntur. Quae omnia, flexiones, manumque motus et gestus proprii, quo altius res puerorum animis insideant, comitari debent...

Conventui sacerdotes ad viginti Instituta religiosa pertinentes et aliquot sacerdotes saeculares adfuerunt. Emmo. Cardinale Pizzardo proponente, ad colloquium cum Summo Pontifice admissi sunt.

—Die secundo mensis Julii, ut de problematis, quae ad linguam latinam referuntur, ageretur, coetus a delectis viris constitutus, Washingtoni congregatus est. Qui omnes dare operam ut Constitutio Apostolica *Veterum sapientia* efficac redderetur consciverunt, spemque etiam conceperunt difficile hoc opus in Seminariis felici exitu perfectum iri.

—A die 11 ad 15 superioris mensis Septembris IV Congressus Internationalis Studii Pyrenaeis fovendis Lurdæ et Pali (*Pau*) celebratus est. Haec sunt et professorum nomina et commentationum indices, quae forsitan lectorum interesse possint:

R. Etienne: *Les passages transpyrénées sous l'Empire Romaine.*

M. Labrousse: *Les hautes Pyrénées à l'époque gallo-romaine.*

R. Lafon: *Sur quelques inscriptions ibères.*

L. Michelena: *Alcance de la penetración indoeuropea en el Pirineo occidental, antes de la conquista romana.*

— Lectores tandem certiores facimus de X Congressu Internationali de Papyris qui a die tertio ad nonum superioris mensis Septembris Cracoviae coactus est deque IV Conventu Internationali de Epigraphicis inscriptionibus graecis et latinis a die 17 usque ad diem 22 mensis Septembris Viennae celebrato.

Regiae nuptiae principis Joannis Caroli et principis feminae Sophiae Graeciae Athenis mense Majo sollemniter actae sunt: quo artissimis vinculis Hispani et Graeci in posterum cohaerebunt; eaque oblata occasione, cl. vir Josephus Alsina in Universitate Barcinonensi eruditissimus litterarum graecarum Professor, fasciculum foras vulgavit quod viginti duo hodiernorum scriptorum graecorum poemata melica continet et versione hispanica fluente, jucunda, plena ornantur.

Si vis, lector humanissime, gratissimo eorum poematum suavitate delectari hunc fasciculum quod complemento est Commentarii qui inscribuntur «*Estudios Clásicos*» (mense Majo, a. 1962) adi. Me juvat nuncupationem legentibus praebere qua versus illustri feminae principi Sophiae dicantur:

ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΓΤΗΣ ΒΑΣΙΔΙΚΗΝ ΥΨΗΛΟΤΗΤΑ
ΤΗΝ ΠΡΙΓΚΙΠΙΣΣΑΝ ΣΟΦΙΑΝ ΤΗΣ ΕΛΛΑΔΟΣ

ἥτις κομίζει ἡμῖν τὴν χάριν καὶ τὸ κάλλος,
τὴν ἀνάμνησιν ἐνὸς ἀρχαίου μεγαλείου
καὶ τὸ χαμόγελον μιᾶς φίλης χώρας ἥτις ἀναγεννᾶται.

ESTUDIOS CLASICOS

ἐν ὀνόματι τῆς Ἰσπανίας
χαιρετίζει τὴν Ἰμετέραν Βασιλικὴν Ὑψηλότητα
καὶ εὖχεται τὴν μεγαλυτέραν εὐτυχίαν
να δύνανται τις νὰ εἴπη, ὡς πάλαι Εὐριπίδης.
Μακάριος ὅστις εὐτυχεῖ γάμον λαβῶν
ἐσθλῆς γυναικός

Ludi scaenici de classicorum scriptorum operibus exhibentur. Legentes certiores factos putamus «*Collegia Universitaria*» condita esse, quae per Germaniam, Italiam, Belgium, Britanniam aliasque Europae nationes, fabulas praesertim classicas edant ut omnes gentes non tantum eas perspiciant sed voluptatem etiam ex eis capiant.

Nuper a diebus 6 ad 16 mensis Septembris, ludis scaenicis Contimbrigae sollemnibus datis, haec classica opera in scaenam missa sunt: *Antigona* a «Collegio Conimbricensi», claro professore Paulo Quintela moderante; *Agamemnon* ab «Instituto Delphico» Mainz; *Coephorae* a «Coetu Theatri Antiqui Sorbonensi» et opus aliud a «Coetu Univesitario Parmensi».

Ad hos «VII Ludos Delphicos» instituendos, theatrum «Gil Vicente» inscriptum Conimbrigae inauguratum est.

Censores exteri et Professores omnes praeclarissimi qui his fabulis adfuerunt, ludos scaenicos optimos, summa arte factos eosque jucundissimos evasisse consentiunt.

Per dies 20-24 superioris mensis Februarii ab Instituto Universitario cui index «University in the Arts Theatre» Cantabrigiae condito ad opera classica agenda, litteratissimo viro Donaldto Beves moderante atque musicis numeris a cl. musico P. F. Radcliffe tractata, comoedia Aristophanea «*Nubes*» graeco sermone exprompta est. Qua occasione, hujus

operis editio — curante domo editrice Heffer et Sons — a cl. viro H. J. et P. E. Easterling paratur.

— Institutum Nationale fabulis antiquis agendis Syracusis conditum, ludos scaenicos a die 23 mensis Maji ad diem 10 mensis Junii, de *Hecuba* et sex quoque de aliis Euripidis operibus edidit.

Nemo est qui ignoret quantum ad cultum hominis fovendum et perpoliendum res et scientias per undas televisivas vel cinematographum tradere proficiat. Luce sono, colore, perspicuitate imaginum, motu efficitur ut ea penitus spectatorum animo infigantur jucundeque percipiantur.

Quod ad litteras classicas attinet, cum saepe de argumento fabuloso seu de fabulis fictis agatur — quae hominum animos magnopere permovent — non est dubium quin locis seu thematibus antiquitatis classicae, his viis seu rationibus transmissis, felix exitus contingat.

— Quare non miramur quod pellicula «*Electra*» in ludis cinematographicis Cannis celebratis, quae perfectissima ex omnibus «*transposita*» est, — mima clara femina Irene Papas atque Michaële Cacogannis moderante — maximo donata sit praemio.

— Aeschyleum opus «*Persae*», a Joanne Prats aptatum, per televisionem gallicam prospero eventu transmissum est. Canentium chorus, numerus, saltus, musica atque quae ad traegediam pertinent, tanta arte a cl. viro Prats ad concordiam adducta sunt ut optimum hoc

spectaculum difficulter oblivione obrui possit.

Aeschylus ipse — ut gravis censor scripsit — animi perturbatione, si nostris temporibus fabulam exspectasset, afficeretur...

— Per televisionem etiam hispanicam commentationes de rebus archaeologicis, de graecis litteris (de Euripide, Hesiodo, Theophrasto, Menandro...) atque de arte classica a cl. viris García Bellido, Rodríguez Adrados, Fernández Galiano habitis paucos abhinc menses transmitti coeptae sunt.

— Certiores animis laetantibus Humanitatis professores facimus Societatem Hispanicam Studiis Classicis provehendis — moderante clarissimo archaeologo Vigil — quinque pellicularum series prodidisse, quarum unaquaeque viginti quinque imaginibus pictis constat. Quae nimirum ad linguae latinae et graecae scholas reddendas jucundas magnopere inservient. Duae priores imaginum series philosophis, poetis et hominibus antiquitatis illustribus, ceterae

tres series Delphis, Olympiae, Eleusini, Homero et Vergilio destinantur. Haepellliculae —res magni est momenti— minoris emi possunt.

Inventiones archaeologicae.

—In insula quae ab Athenis 42 chiliometra distat, a professoribus Universitatis Cincinnati suffossa, sacellum inventum est, in quo imagines religiosae asservabantur. Quod sacellum ex omnibus vetustissimum in Graecia inventum esse videtur.

—Scientifici viri Universitatis Harvardianae peregrinationem archaeologicam Sardes per fecerunt, ubi post operosas effusiones illis contigit ut balneas et gymnastium romanum, quae ad annum 211 a. Ch. n. referuntur, invenirent.

—Coetus qui inscribitur «*American School of Classical Studies at Athenas*» —alumnis americanis cooperantibus— Corinthi litora suffoderunt atque adytum, quod cum Pausaniae descriptione consentit, quodque ad deam Cererem pertinere videtur, invenerunt.

In Catinensi Universitate «*Consociatio Europaea Linguae Latinae tutandae*» constituta est, quae finem hunc sibi proposuit, ut lingua latina, ubi cultus diversus et humanitas Europae conveniant, principatum obtineret. Ad hoc Commentarios vulgabit qui ad omnes scholas europaeas, ubi latina lingua excolitur, mittentur. Quibus commentariis, de problematis quae ad scientiam, ad grammaticam, ad novas vias seu rationes, ad linguae latinae structuram referuntur, quaestiones agitantur. Congressus etiam promovebit symposia corpusque Biographiarum de viris recentibus praeclaris in lucem edet. Primus fasciculus eruditissimo prof. J. Marouzeau datus est.

XIII^{um} Certamen Capitolinum nuntiatur. Institutum Studiis Romanis provehendis, clarissimo Petro Romanelli praeside, scriptores omnes qui per orbem solutam orationem latinam reviviscere cupiunt, certiores de XIII^o Certamine Capitolino in aedibus Capitolinis celebrando libentissime facit. Sed prosae cultoribus hoc maximi momenti nuntiamus: primum certaminis Capitolini victorem trecentis milibus denariorum et Lupa argentea, alterum vero victorem centum quinquaginta mille denariis et nummo argenteo donatum iri.

Tempus ad libellos mittendos aptum est quod ad diem postremum mensis Januarii anni 1963 decurrit. Libelli, ut ex more, ad «*Instituto di Studi Romani*», (*Piazza dei Cavalieri di Malta, 2, Roma*) mitti debent.

«**Joannes Filiusge raldi Kennediensis**». Fortasse tibi in mentem venerit utrum cl. vir Joannes Kennedy praeses americanus, latinae linguae aliquando studeat eamque colat...

Nuntium hoc jucundissimum accipe, lector:

Alumnae octo quae lyceo cuidam Novo Eboracensi adsunt, Praesidi americano necopinanti laetitiam maximam obicere cupierunt. Ad hoc orationem illam auspicalem quam Joannes Kennedy, ubi americanarum gentium praeses creatus est in Aedibus Capitolinis Washingtonii, luculentissimam habuit, in linguam latinam animam induxerunt convertere et in Praesidem «*Joannem Filiusgeraldi Kennediensem*», ut verbis alumnarum utar, mittere.

Comis ille et affabilis, scribea juvante, lingua latina —eaque castigata— alumnis rescripsit.

JESUS ARAMENDIA C. M. F.



SCHOLARES LINGVAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania 2 marcs; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VIII — (FASC. IV) — N. 32

M. DECEMBRI

A. MCMLXII



CUPIO ESSE STELLULA

Festivi Natalis Domini dies expectatissimi adveniebant.

Alba nix, quae lenta cadebat, arbores, montes domorumque tecta candida induebat veste.

Maria, puella caeruleis oculis flaventibusque capillis, quae septimum annum agebat, maximo cumulabatur gaudio. Avia ejus, Claudia nomine, Sancti Joseph, Virginis Mariae Jesuque Infantis imagunculas emerat; et dum Maria cum pupa «Pirula» canequae «Toniolo», domi ludebat, Claudia — ut parum musci colligeret — in silvam abiit.

Pridie erat Natalis Domini. Claudia mollem muscum super mensulam extendit, vias serragine signavit et in praesepe imagunculas posuit. Deinde puellae cubitum eunti dixit:

— «Mox Infans Jesus nascetur. E caelis stellulae descendant quae candida luce Jesuli praesepe collustrabunt...».

Maria, quae avia dixerat cum animo volvens, placide obdormivit; et somniabat angelum per fenestram cubiculi intrare; somniabat..., qui ei dicebat:

— «Quidvis a me postula. Tuorum votorum eris compos».

— «Per totam hanc sacratissimam noctem esse velim stellula»...

Tunc angelus eam ulnis accepit ascendensque usque ad stellam quandam argenteam ab stella frustulum praecidit quod donavit Mariae. Quo sumpto facta est pulcherrima stella. Media autem nocte, angelus tuba cecinit, electaeque duodecim stellulae omnium minimae — quarum prima erat Maria — ad Jesum natum, ut praesepe collustrarent, descenderunt.

MARTINUS MARCH, C. M. P.



In communi tugurio —ut hominum fama fert— quattuor annosi mendici pauperem at beatam vitam agebant. Qui viribus ad terram colendam jam deficientibus, vicos et urbes circuibant stipem postulantes.

Nocte anniversaria natalis Christi adveniente, cum eam et laeto animo et corporis delectatione commemorare velent, unusquisque per diversa loca iter fecit.

Primus in pagum pervenit, ubi invenit mulierem, quae si-

bi, stipem petenti, crumenam amygdalis plenam dedit.

Alter januam cujusdam divitis pulsavit; cui longaevus famulus aperuit; eoque audito, sarcinulam sacchāri in manibus ejus posuit.

Tertio non minus fortuna favit. Nam ovorum cistellam accepit ab humanissimo viro qui ita ei locutus est: «Accipe, frater, munusculum hoc, ut libenter cum sodalibus epulari possis sacra nocte natalis Domini». In pauperulam ergo do-

Somis.

num reversus, invenit duos socios exhilarantes, quibus et ipse ostendit quae in itinere acceperat.

Dum inter se loquuntur de convivio celebrando, en quartus mendicus, seriam mellis manibus ferens, coram eis adstat. Itaque nullo refragante, mixturam ex omnibus, quae separatim quisque asportaverat, paraverunt et ad ignem applicaverunt.

Sub media igitur nocte quattuor mendici, flexis genibus, Infanti Deo laudes dixerunt eique ad tibiam festivos cantilenas cecinerunt. Deinde ad cenam accumbentes grato et alacri animo comederunt mixturam quam fecerant; «lucuntem amygdalinum mellitumque», cui, propter elementa praestantiora, hoc no-

men impostum est; a mendicis autem, ob illius duritiam ex

igne conceptam, «tostum» (*turrón*) appellatum.

Gratias Deo actis et vale, antequam cubitum irent, dicto, subito claritas refulsit in illo humillimo cenaculo et ecce facies sole splendidior, Infantuli Jesu ante eos: «Cum tam pie ac religiose, inquit, natalicium meum celebraveritis, faciam quidem ut in posterum hac festiva nocte omnibus mensis lautum hoc crustulum non desit unquam eo ipso nomine a vobis imposto».

Nihil rerum humanarum sine Dei numine geritur
Festina lente
Memoria minuitur, nisi eam exerceas.

DOMINICUS LÓPEZ, IV *latinitatis C. alumnus*,

STATUA MENNONIS

Mennon ille, Tritone natus et Aurora, cum missus esset a patre, Aegyptiorum rege et Aethiopum, ad opem Trojae ferendam, quae obsidebatur a Graecis, interfectus est ab Achille.

Magno et honesto funere humatus est, in Aegypto statuae ei sunt erectae; illa vero in urbe Thebana omnibus praestitit. Cum solis radii eam tangebant, sonitus canoros reddebat, perinde ac si Mennon matris ejus ortum salutare vellet. Quod arcanum Cambyses cum perspicere vellet, jussit statuam in duas partes confringi. Pars ejus tamen superior non intermisit, teste Strabone, quin eundem sonum ederet.

LAURENTIUS CAMA

IN CHYMICAE SCHOLA

Magister: Hoc est pensum tuum de lacte totum? Non te tam pauca de lacte scribere pudet?

Discipulus: Minime, magister, de lacte enim concreto scripsi...

JESUS CALVO

Duo ebrii ante statuam consistunt:

—Audi, amice, scisne quis homo hic sit?

—Galilaeus!

—Sed quis sit Galilaeus nescio...


—Vir ille praeclarissimus qui terram circum versari invenit...

—Sodalis ergo noster est.

Barbastri. AVELIUS MARTÍNEZ

AD SALTUM EQUI

A	TI	GO	HA	TRA
TER	LIS	SUNT	A	■
VI	LI	■	NOS	BE
CU	A	■	E	IN
■	NA	O	MUS	■



—Pro certo habeto, optime Joseph, jucundissimam percipi laetitiam ex contactu librorum...

(Ex ephemeride «Club CCC».)

SOLUTIONES

Cfr. PALAESTRA ADULESCENTIUM.
(m. septembri, a MCMLXII).

Abacus veneficus (p. 434):

lacrimabundus
praemordet
ergastula
vitiaria
palpito
flens
fucus
ecce
u

Pecten (p. 435): ALBANUM

T O O E
E N X N
R A A S

Scalae sublimes (p. 439):

I - R A O - D I - U M G E - N E - R A T , C O N -
C O R - D I - A N U - T R I T A - M O - R E M

Triangulus magicus (p. 439):

CAESAR
AGNUS
ENIM
SUM
AS
R

ROMANORUM AD FURCULAS



Samnitae eo anno imperatorem C. Pontium, Herennii filium, habuerunt, patre longe prudentissimo natum, primum ipsum bellatorem ducemque. Qui, exercitu educto, circa Caudium castra quam potest occultissime locat.

Inde ad Calotiam, ubi jam consules Romanos castraque esse audiebat, milites decem pastorum habitu cum pecoribus mittit, qui, ubi inciderint in praedatores, dicant «legiones Samnitium in Apulia esse, Suceriam omnibus copiis circumsedere, nec procul abesse quin vi capiant».

Romani breviorē per Furculas Caudinas viam eligunt. Saltus duo alti, angusti silvosique sunt, montibus circa perpetuis inter se juncti. Jacet inter eos satis patens clausus in medio campus, herbidus aquosusque, per quem medium iter est.

In eum campum via alia per cavam rupem Romani demiserunt agmen et cum ad alias angustias protinus pergerent, saeptos dejectu arborum saxorumque ingentium objacente mole invenerunt. Cum fraus hostilis apparuisset, praesidium etiam in summo saltu conspicitur.


CAUDINAS CLADES

Sistunt inde gradum sine ullius imperio stuporque animos tenet; deinde ubi praetoria consulum erigi viderunt, pro se quisque, nec hortante ullo nec imperante, ad muniendum castra propter aquam vallo circumdant.

Ad consules maestos, qui ne advocare quidem in consilium cogitabant, cum nec consilio nec auxilio locus esset, sua sponte legati ac tribuni conveniunt militesque ad praetorium versi opem quam vix di immortales ferre poterant a ducibus exposcunt.

Querentes magis quam consultantes nox oppressit. Pro ingenio quisque fremebat, alius: «Per adversa montium, per silvas eamus; modo ad hostem pervenire liceat quem per annos jam prope triginta vincimus: omnia aequa et plana erunt Romano in perfidum Samnitum pugnanti».

Alius: «Quo aut qua eamus? Dum haec imminebunt juga, qua ad hostem veniemus? Armati, inermes, fortes, ignari pariter omnes capti atque victi sumus. Ne ferrum quidem ad bene moriendum oblaturus est hostis». His sermonibus cibi et quietis immemores noctem traxerunt.



PUERI FIDELITAS

Factiosi nunc iter in speluncam faciunt. Puer quidam cibaria portans in corbi sacerdoti — ut se ab inimicis fidei servaret celato — obviam eis exiit. Cumque eorum dux corbum vidisset, magnam esse in eo pecuniam putavit ac de re gaudens jussit puerum tenere.

— Quo pergis, inquit, cum ista cista? Quae in ea?

Puer seditiosos timuit, sed duci accedens:

— Panes patri meo affero qui aeger est neque habet quid edat.

— Dic mihi verum, aut te necabo, latruncule.

Puer, cui mendacium compertum esse videbatur, sibi signum crucis edidit ac: Occidite, si vultis, nam teste Dei Matre, nihil amplius dicam.

Pueri jocus risum inter seditiosos excitavit; neque tamen eum dimiserunt quoad comperirent locum in quo esset pater ejus.

— Ubi est pater tuus? — eum interrogavit unus ex ipsis.


Puer, oculis in terram dejectis, animum ad verba factiosi non attendebat, dumque excogitabat quomodo ex eorum manibus effugeret, rursus dux eum interrogavit. Tunc vero, elatis oculis, arma vidit atque sibi signum crucis edens vocavit in auxilium Matrem Dei; sed nullum verbum ex ore protulit.

Factiosi pueri fidelitatem mirati sunt atque unus ex ipsis eum adiens: Macte virtute, puer!, eique iter prosequi permiserunt.

PETRUS PASCUAL, C. M. F.

1.^o cursus Philosophiae alumnus

PECTEN OVIDIANUS



1. Insuper durato (AMICITUR) amictu
2. (ARRIPE), nata, quod optas.
3. Vestrae quoque clamor Ulxis — Paene (NAVI) nocuit.
4. Ignesque timent, quibus (OCEANUS) pepercit.
5. Tot mihi natales contingere (STULTA) rogavi.
6. Quam nullum aut (INANE) sit damnum mihi lucis ademptae!
7. (EO TEMPORE) et aves tutae movere per aëra penas.
8. Erigimur, saetaeque cadunt, bifidosque relinquit (FISSURA) pedes.

HERBERTUS H. HUXLEY

Rem tene, verba sequentur



Intelligenti pauca



Nihil difficile volenti



Audentes fortuna juvat



Qui patitur, vincit



Quae nocent, docent



Casta placent superis

DE VETULO QUI CORNUTUS APPELLABATUR

Quondam in Japonia erat vetulus qui cornu in fronte habebat, quo re «vetulus cornutus» appellabatur. Boni cives tantum casum verebantur, stulti vero eum irridere solebant.

Ki-Mokus (hoc enim nomen vetulo erat) aequo animo contumeliam ferebat precans deos ut eam a se avertere vellent. Dii videbantur vetuli preces diutissime non audire. Quodam vero die, habitis in templo solitis precibus, in speluncam sese cubitum recepit.

Dum vetulus, stramini incubans quiescebat, quasi rumorem risuum et voces tenuissimas puerorum, quae foris procedebant, audivit.

Ki Mokus se somnare credidit, sed ubi oculos perfricavit se experrectum et veros esse illos risus sensit.

—Comperiamus quid accidat!

Ad aditum speluncae accessit curans ne videretur. Ante oculos nanorum turmam, caelica luce circumdatam, habebat qui in caespite laeti ludebant et saliebant.

—*Oni-domo!* («diaboli sunt!») vetulus clamavit, admovens manus ad oculos. Sed hunc clamorem audientes, nani Ki-Mokum viderunt, cui dixerunt:

—Minime! Non sumus diaboli, sed novem plenilunii filii qui huc lusum et saltum venimus, quotiescumque luna lumen plenissimum solis accipit.

Et qui turmae dux videbatur:

—Visne, inquit, nobiscum ludere et saltare?

Antequam vetulus responsum dare posset, inter nanorum turmam jam erat, et cum eis saliebat et ludebat.

Albente jam caelo, dux vetulo cornuto:

—Amice, optime saluisti. Quid praemii vis?

—Nihil plane cupio, et me permultum juvat tam laetos amicos cognovisse.

—Tu nihil poscis, sed nos tui monumentum volumus habere.

His dictis, dux filiorum lunae, cornu a vetulo evulsit. Sic dii vetuli preces audierunt.

Latine interpretati sunt: Petrus CAPDEVILA et Ignatius RICART, C. M. P. Cervariae.

TRIANGULUS

	1	2	3	4	5	6	
1							1) taberna
2							2) odorifero
3							3) loca
4							4) incedere
5							5) per aquas labor
6							6) vocalis

PRIOR IN PUGNA

PUER (*Ad custodem publicum currens...*): Proficiscere, domine custos, jam horam homo cum patre meo acerrime pugnat.

CUSTOS: Quare hoc, puer, mihi non antea dixisti

PUER: Quia hactenus pater meus vincebat.

FRANCISCUS TORTOSA

Barbastrì.

QUO PLUS NOS COMITAMUR

Musica popularis apud Anglos

Verba Fr. CUTHMAN FRANCIS, FSC.

A Quo plus nos co-mi-ta-mur a-mi-ci-que a-mi-cae quo
 B plus nos co-mi-ta-mur be-a-ti-o-res su-mus A
 C mi-ci nos-tri vo-bis cum sint et res-tri no-bis Quo
 D plus nos co-mi-ta-mur be-a-ti-o-res su mus
 E
 F
 G
 H

ISAAC NEWTON

Isaac Newton, cujus summa est inter mathematicos opinio, erat homo valde «distractus». Cum esset caelebs, ancilla res domesticas administrabat. Qua aliquando domo egressa, ipse sibi ovum coquere volebat. Misit igitur aquam in pelvem, succendunt ignem et aquam ferverecit. Quod dum facit, ancilla clam ingressa cum stupore exclamat: «Quid, domine, facis?». — «Ovum coquo». — Cui illa: «Contrarium facis; manu enim ovum tenes et horologium coquis». Tum vir doctissimus, cujus saepe mens a sensibus erat abalienata, se errasse intellexit. — Noli igitur, amice lector, tam doctus fieri, ut non et tu pro ovo horologium coquas.

N. MANGEOT

IN CACHINNOS EFFUNDITE...

Homini transeunti, simo admodum, alter dicit:

— «Deus te oculos servet incolumes...».

— «Et quare...?».

— «Quia... si oculorum lumina amiseris, ubi ocularia imponeres?».

XAVIERUS PEÑA, C. M. P.

Post Proelium


MILES: Ad proelii finem, in tres hostes simul impetum feci et eorum pedes abscidi.

DUX: Cur pedes et non capita abscidisti?

MILES: Quia abscisa ea habebant.

JULIUS MARQUÉS

Barbastri.



—Iterum patrem deludisti, pessime puer!...

(Ex ephemeride «Club CCC».)

BIBLIOGRAPHIA

HORATI FLACCI. — *Opera*. Tertium recognovit F. KLINGNER. (Bibliotheca Teubneriana) Best. — Nr. 1436. Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri MCMLIX.

Indagatio atque inventio verissimi textus est proprium Bibliothecae Teubnerianae munus, quem non nisi multis habitis investigationibus recipit. Insuper hic liber tertium editur cura ipsius doctissimi viri Klingner, qui, adhibita recentissimorum investigatione, locos dubios impensius examinavit atque perfecit opusque emendatissimum apparavit. Tribus praefationibus (pp. XXII) rationes in textu constituendo perpenduntur. Siglis paginae XXIII-V tribuuntur. Sequuntur (pp. 1-311) Horatii Opera: Carminum libri I-IV, Carmen Saeculare, Epodon Liber, Sermonum atque Epistularum duo libri. Hae paginae textui destinatae, eleganter distincteque excusae, veterum scriptorum testimonis ornantur et codicum recensione, breviter, presse et satis perspicue explicatis. Absolvitur volumen indice carminum atque indicibus Vollmeriadis (pp. 314-378) in quibus omnia memoratu digna metricae, prosodiae, grammaticae luculentissime et sub titulis spisse ordinata (pp. 314-38), omniaque nomina (pp. 338-378) parum explicata colliguntur. Hi indices vere thesaurus sunt et quasi horatiani operis optima commentaria.

E. F. CANAL, C. M. F.

ROSSET CHARLES. — *Textes Latins, Classes de 4.^e et 3.^e*. L'Ecole. 11, rue de Sèvres, Paris-VI^e. pg. XIV-288, 22 x 14.

Hic liber scholaris iis in primis alumnis aptatur qui tertiae et quartae, uti dicunt, scholae apud Gallos operam dant. Nota omnibus sunt utilissima opera clarissimi Professoris C. Rosset, ad instituendos illustrandosque discipulos latinitatis.

Excerpta non nulla Ciceroniana alumno proponuntur: Pro Planctio, 26, 63-65; Tusc.

V, 57-63; De Officiis, III, 14, 58-60 (pp. 22-41). Tum Caesaris pagellae seliguntur scitisque notis exornantur. Gallia ejusque cultura, Caesar apud Britannos, Vercingetorix (pp. 42-152). Collectanea deinde Ovidiana adduntur: Origo mundi, Phaëtonis historia, Daedalus et Icarus, Philemon et Baucis (pp. 155-210). Quaedam tandem capita ab Quincto Curtio et Livio exprompta (pp. 211-274).

In ampla praefatione agitur de auctoris proposito, de textuum selectione, de vocabulario, de lectionis methodo (pp. V-XIV) Summarium tum sequitur latinum vocabularium, quod dicunt fundamentale seu «basicum» (pp. 1-21). Ut alias, et lepidis liber distinguitur picturis atque geographicis tabulis. Pulchrum quidem atque absolutum propositum consiliumque clari Professoris C. Rosset, in latinitate jucunde junioribus tradenda.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ARGENIO, RAFFAELE. — *M. Pacuvio. I Frammenti dei drammi ricostruiti e tradotti*. Officina grafica. Torino 1959.

Omnes notiones ad Pacuvium spectantes locum in hujus libri introductione cumulate habent (pp. III-XIV). Additur lectissima *Bibliografia su Pacuvio* (p. XV). Sub XV numeris qui sequuntur et librum complent, auctor aggreditur arduum negotium quod est dramatum argumenta restituere, eorumque exstantia fragmenta juxta maximam cum veterum indicis recentiumque sententis convenientiam connectere. Ratio autem laudati laboris haec est: post cujusque dramatis titulum — qui sunt XIII litterarum ordine dispositi —, praecipua quae de ipso habentur praebet fragmentaque digerit in versus italicos pulcherrime conversa, adjectis in infima pagina, praeter notas bibliographicas, cum latinorum vel graecorum auctorum locis tum ipsis fragmentis. In XIV, sub *Frammenti Incerti*, CII colliguntur, nonnulla brevissima, vel unius verbi. XV continet IV fragmenta praetextae quae

«Paulus» inscribitur. Index verborum obsoletorum obtinet tres extremas paginas. Ex his habes quod de operis momento iudices.

REGARD, MAURICE. — *Sainte Beuve*. (Connnaissance des Lettres, 54) Hattier, 8, Rue d'Assas, Paris 6^e 1959, pag. 224.

Conscriptam in hoc libro habes vitam, litteris intentam litterisque illustrem, illius litteratissimi viri. Omnes ejus vicissitudines et doctrinae, ex ipsius operibus suisque fere verbis adductae, sunt quasi tabulatio ad hanc viri litterati vitam, humanitatis plenam, construendam.

Auctor, quamvis sint de re multae jam disputationes editae quas ipse ante oculos habet, ad fontes etiam manu scriptos accedit. Ex quo, si consideres quoque adnotationes bibliographicas, statim tibi manifestum perspectumque erit quali elegantia quantaque monumentorum copia auctor usus sit ut opus quam maturissimum conficeret. Est insuper tota materia ita contracta et ordine instructa ut non sine summa, in eo critico litteratoque viro cognoscendo, commoditate liber legi possit. Est denique tironibus ductor, eruditis compendium, omnibus oblectamentum aliarumque rerum notitiis solidum fundamentum.

QUINN, KENNETH. — *The Catullan Revolution*. Melbourne University Press, for whom Cambridge University Press act as agents. 31st December 1959. 27s. 6d.

Liber qui de tam remotis regionibus advenit haud parum humanitatis prae se fert. Auctor, in patris et anglis scholis instructus, a nimia methodo Germanorum in litteris perpendendis dissentire profitetur.

Magis illi placet poemata ipsa et integra in se et puchra esse considerare, nec nimis ea potius opprimere quam illustrare notitiis. Ipso operis titulo significat Catullum poeseos cursus reformando mutavisse, novamque motionem in eam infudisse.

Ratio qua se auctor in his sapienter habet: novitas, maturitas, ordo, stilus atque id genus, non paucis exprimi possunt, sed ut liber legatur exposcunt. Auctor est perceptor subtilis et delicatus poeseos Catulli, quae ex ejus

lectione magis delectat et quasi quodam leni spiritu incitat. Quod etiam apparet in conversione praecipuorum carminum Catulli in versus anglicos. Post sex libri capita sunt notationes, quae et in textu abundant, et fragmenta quae exstant poetarum novorum, aliaque id genus. In fine est Index auctorum et rerum simul. Omnia, vel ipse labor typographorum, sunt laude digna.

E. TEJERINA C., C. M. F.

J. PÉREZ DE IZARRA SAENZ, S. J. — *La traducción del latín en treinta días*. Bilbao-Indauchu, Colegio de Nuestra Señora de Begonia.

Triginta lectiones linguae latinae, eo vero fine ac ratione, ut quam citissime alumnus non nihil in convertendo callere valeat. Neque tamen dies «boreales», quod lepide auctor, neque semihorae scilicet usus studiique in dies. Omnia, plus minus comprehensionis habeant...

Methodus tamen haec clarissimi latinitatis Professoris, Patris Pérez de Izarra, ad rem mirifice tendit. Regularum paululum, multum exercitationis; perspicuitas in explicando, in eligendis latinis scriptorum locis sollertia. Paucis, totius in libelli cursu, expertus magister apparet, qui longos, eosque felices, annos latinam linguam in docendo consumpsit.

Id unum, mea quidem sententia, in libro desideratur: synthesis in aliquo indice, commodioris usus causa, expressa. Quibus studii tempus sit exiguum, his maxime libellus hic commendandus, quo sane in vertendis scriptoribus tuto pede laeti ingredientur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

AGUIRRE A., JULIAN, S. J. — *Temas graduados de Latín*. (Para 1.º y 2.º). 2.ª edición. El Mensajero del C. de Jesús, Bilbao 1952, pág. 152.

AGUIRRE A., JULIAN, S. J. — *Temas graduados de Latín*. (Para 1.º y 2.º). 6.ª edición. El Mensajero del C. de Jesús. Bilbao 1952, pág. 249.

Hoc opusculo quod «*Liber magistri*» inscribitur potest, themata seu exercitia 333 colliguntur, in latinum ab auctore conversa, quo ma-

gistorum opus temperetur laborque cotidie emendandi facilius celeriorque reddatur. Quo gratiae auctori maximae sunt agendae.

Alter liber qui *Liber alumni* vere est, eadem 333 themata quae commemoravimus continet. Exercitia, cum alumni primi et secundi linguae latinae cursus destinentur, simplicia sunt et facilia; sed ita ordinata et disposita — haec est ars et vera cl. auctoris virtus — ut alumnus progressus magnos in lingua latina efficere possit.

Interdum auctor praecepta grammatica, vel verborum tempora, breviter inserit, quibus alumni, ante oculos leges has habentes, exercitia seu scholare pensum facilius absolvant.

Copiosissimo vocabulorum indice libri locupletantur.

FEJ, JULIO. — *Gramática Latina*. Edit. E. López Mezquida, Historiador Diago, 13. Valencia, 1958. pág. 156.

FEJ, JULIO. — *Iter, Método de Latín*. Edit. E. López Mezquida, Valencia 1959, pág. 179.

Haec linguae latinae grammatica a Publicae Institutionis Administrato probata, id aliis grammaticis excellit, quod — quamvis liber ad primos baccalaureatus annos destinetur —, multis tamen phoneticae notulis ornatur atque explanationibus, perinde ac si latinam linguam disci «a primis causis» debere diceres.

Leges et doctrina quae de morphologia (pag. 3-107) et syntaxi (pag. 114-156) a cl. professore Setabensi proponuntur, breves sunt eaque captu faciles: quo ab alumni facile percipiuntur.

«*Iter*» seu exercitia quae grammaticae sunt complemento, vocabularia continent et selectas locutiones, ex classicis auctoribus saepe desumptas (pag. 7-47); in altera vero «*Itineris*» parte themata proponuntur ex Liturgia, Novo Testamento, Eutropio, Nepote, Phaedro Caesare excerpta. Omnia progredienti ratione alumni exposita.

«*Iter*» tabulis ad vitam romanam pertinentibus, commentariisque variis, quae per lucida themata faciunt, illustratur.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

M. LAVENCY. — *Exordium*, Manuel de latin pour débutants. Editions J. Duculot S. A., Gembloux, Belgique, pag. 356. 22 x 14.

Propositum clarissimi scriptoris hujus libri: alumnus latinis litteris instituere. Quod ut assequatur, studio inductivo, systematico, totam rem grammaticam eidem explicare, idque perbene, intendit. Laboris vero via: loci, veterum scriptorum quibus inest totius latinitatis medulla.

Profecto tota libri doctrina explicatioque ita ratione et via exposita est, ut a facilioribus textibus ad difficiliore precedens rite absoluteque alumnus imbuatur atque dirigatur in genuina classicorum latinorum schola.

Professor autem latinitatis commodius, hoc in opere, ea praecipua reperiet elementa, quae quasi totius explicationis cotidiana sint fundamentum. Delineationibus vel difficiliore notiones abstractae ob oculos alumni ponuntur, quibus maxime studium latinae linguae extollitur atque fovetur.

Index libri modeste «*Exordium*» inscribitur; ad ediscendas autem latinas litteras, sicut et ad alias, tantummodo «*Incepto*» opus est..., maxime si metam reapse, ut hoc opere, consequamur

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

PALMER, L. R. — *The Latin Language*. Faber and Faber. 24 Russell Square. London W. C. 1. 45s.

Est hic liber magni momenti, non tamen viris doctissimis destinatus, quasi ad suae ipsius auctoris investigationis fructus significandos, sed potius ut eis optimam progressuum hodiernorum epitomem atque in alumni edocendis tutam viam praebeat. Est enim liber ea modestia et consilio conditus ut semper, opinio communis servetur vixque appareat — quod ipse sedulo curat — esse in eo proprias auctori sententias. Ipsius tamen praecipua virtus est quod toto opere perfectum maturitatis selectionisque iudicium splendet.

Itaque in prima parte historia summaria latinae linguae ejusque progressus summatim explicantur ab aetate aenea usque ad occasum imperii. Haec pars facilius captu cuius in lingua latina initiato jucunda erit. In altera,

quae *Comparative Historical Grammar* inscribitur, quaeque tria capita complectitur — VIII Phonologia, IX Morphologia, X Syntaxis — (pp. 207-341), contrahuntur, quantum stili elegantia permittit, notiones praestantiores de re, ita tamen ut vere breviarium sit et scientia refertum et maxime utile et nostrae aetati accommodatum. Sequitur strictissima bibliographia in singula capita distributa. Postea (pp. 346-358) in appendice sunt textus latini antiquissimi: 51 epigraphici et 52-56 ex fontibus litterariis deprompti. Paginae 359-372 sunt indices. Liber accuratissime editus exhibetur.

UNIVERSITÀ DI GENOVA. — *Menandrea*. Miscelanea Philologica. Istituto di Filologia Classica, 1960.

Inventa est nuper, ut omnes sciunt, comoedia menandrea «Dyscolos» inscripta; ejus editio princeps statim parata est a Victore Martin.

Quantum hujus operis ad litteras classicas momentum sit studiosi perspectum habent; est quidem mirum quod commentationes de re adeo nova — ab anno 1958 quo edita est — tenent in «Saggio Bibliografico» (G. Barabino), quod est postrema hujus libri dissertatio, non minus quam paginas 203-219 nominibus confertas. Volumen hoc opiniones profert illi festinatae editioni discordes; est tamen simul significatio honoris diligentissimo editori oblatum. Continet 15 variae naturae disputationes quae ad ampliores textus intellectionem conferunt: ut sunt chronologicae, criticae textualis, metricae... Lucubrationes sunt italice fere omnes conscriptae; opus optima doctrina refertum.

OMERO. — *Gli eroi e la Guerra. La poesta dell'Iliade*. Lettura di ANTON MARIA SCARCELLA. Palumbo, Firenze MCMLX.

Hic serpere «Lettere greche e latine» intendunt auctores causas et exempla hodiernorum angorum et quaestionum in suis fontibus cognoscere et quaerere; indagare etiam qua ratione, quod homines penitus appetere videmus, majores nostri et pulchrum et honestum et verum expresserint. Jam vero in hoc volumine non nisi mera elegantia et ni-

tor fulgent cum in ipsa libri exhibitione et operculis tum in rota rei expositione: operculum enim arte et colore potissimum oculos capit; capiunt oculos et mentem paginae illae tenuiter coloratae quae miras Braque, Hayter, Friedleander descriptiones demonstrant. Hae fortiter animos ad excelsa alliciunt. In docta praefatione Ilias hodiernae anxietati vitae consentanea esse praedicitur. Deinde sub undecim titulis selecta ex tredecim Iliadis libris promuntur. In singulis capitibus praenotantur paucis lineis virtutes humanae quae ex consideratione homericae poeseos profuunt. In adnotationibus, quae maximum locum obtinent, auctor ditissimos cujusvis generis commentarios juxta Homeri versus cumulat. Haec sunt industriae et ingenii auctoris argumenta. Stili et totum opus est quadam quasi dignitate et altitudine imbutus. Liber ad superiores scholae alumnos instituendos optime sumi potest.

ARISTÓFANAES. — *As Ras*. Tradução do Grego por JUNITO DE SOUZA BRANDAO. Rio de Janeiro 1958.

Ex omnibus Aristophanis comoediis, quae tantopere risum excitare valent, nulla forsitan magis quam «Ranae» momento sit ad investigandam saeculi V poesim; sunt enim in «Ranis» judicia de poetis prima manu facta. Auctor, cujus nomen in gymnasiis brasilianis non est qui ignoret, praebet nobis, rejecta accommodatione, veram interpretationem; qua honesta culpa illico se purgat auctor idonee. Sunt continuo praevia verba tum Aristophanis vitam, mentem, artes, tum ipsam «Ranae» comoediam explicantia. Textus interpretationis multis notulis illustratur. Stili et lingua lusitana est operis jucunditati et salibus bene apta quo fit ut lector duplex obtineat ex comoedia delectamentum.

E. TEJERINA C., C. M. F.

L. LAURAND et A. LAURAS. — *Manuel des Études grecques et latines*. Fascicule IV, Géographie, Histoire, Institutions Romaines, 13 édition. Éditions A. et J. Picard et Cie Paris, pag. VIII, 170, 20 x 14.

Apud latinarum et graecarum litterarum cultores notissimus est opus clarissimi Pro-

fessoris A. Laurand, quod in dies ab A. Laurand perficitur et absolvitur et magni ab omnibus habetur. Tertia et decima haec, maxime in melius reddita, editio fasciculi quarti.

Tres ibi commodae facilesque partitiones atque eae arte scientiaque philologica exaratae:

I. Geographia Italiae et imperii romani (pp. 1-22). Praeit amplissima et selecta bibliographia, appendix vero de Urbe Roma hanc partem finit.

II. Historia romana (pp. 23-66). Bibliographia explicatur, atque singillatim de Regno, de Republica, de Imperio summa capita ratione et via illustrantur a praeclaro magistro L. Laurand.

III. Institutiones romanae (67-154). Sexdecim capitibus omnia fere de re perstringuntur: vestes, domus, tempus, prandia, familia et educatio, matrimonium et mancipia, officia, artes, testamenta et exequiae, ludii publici, exercitus classisque, religio, civitas et senatus, chronologia et metrologia, scientiae apud Romanos. Neque desunt indices tabulaeque consentaneae, quae magno opere honestant et latinitatis studioso librum reddunt carum.

I. GONZALEZ, C. M. F.

PEDROLI, LYDIA. — *Orientamento bibliografico per lo studio della letteratura latina*, Ausonia. Roma 1960.

Opus, cuius propositum satis indice demonstratur ita dispositum est: in partes tres, dividitur quarum prima complectitur adjuvamenta bibliographica generalia: vocabularia, corpora, commentarios... In alta colliguntur scriptores et poetae classici primores, illi nempe qui in cathedris appetendis proponi solent. De his auctoribus indicantur codices praecipui, editiones insigniores, interpretationes, vocabularia, aliaeque res cognitione dignae: metrica peculiaris, librorum argumenta... Tertia continet subsidia bibliographica disciplinarum curriculi classici superioris, ut sunt poetae humanistae, mythologia, institutiones, palaeographia, epigraphia, grammatica...; prosodia et metrica fustius explicantur. Opusculum, eis qui in Universitate versantur, commodo erit.

EULOGIUS T. CANAL, C. M. F.

HERODOTO. — *Textos escogidos*. Preuniversitario 1960-61. Preparación Escolar. S. RODRIGUEZ BRASA, S. J. *Perficit*. Colegio de San Estanislao, Salamanca.

Opus commendatur et usu et ea tam omnibus nota experientia in docendo quam *Perficit* per multos annos cumulavit. Textus selecti sunt ex variis Herodoti libris sub decem titulis: Arion,... Marathon,... Thermopylae, Salamina, Plataea. Ratio autem expositionis haec: primum praecipua inter Herodoti et aetricam linguam discrimina sexdecim numeris proponuntur. Postea in singulis capitibus et versiculis explicantur dilucide ea verba quae alumni facile nesciant. Etiam in seligendis hispanicis significationibus singularis industria apparet; cum verbum nostrum e graeco procedit adjungitur ut memoriae juvamen, quod quidem gratum erit discipulis. Hae sunt aliquae opusculi virtutes. Scimus Patrem R. Brasa simile de Iliade opus parare, quod alumnis certo magno erit adjuvamento.

E. TEJERINA C., C. M. F.

BIONE, CESARE. — *Prodromos. Avviamento allo studio della scienza dell'Antichità Classica*. Quarta edizione da Nilo Casini. Palumbo Editore, Palermo 1959, pp. 204.

Ecce praestantissimus liber «Prodromos», cuius auctor C. Bione, quartum in lucem editur. Operis momentum et aestimatio superiorum editionum fortuna aperte indicatur.

Omnibus qui amplissimum philologiae classicae agrum perlustrare et colere conantur, hic liber dux ac magister adest.

Quam in finem omnes hujus disciplinae seu potius harum disciplinarum quaestiones seu problemata atque subsidia bibliographica praecipua, amplissime quidem ac peritissime auctor evoluit.

Dum ipse vixit, opus suum ad recentiora hujus disciplinae inventa accommodandum atque componendum manu propria curavit; verum post mortem auctoris ejus discipulus Nilus Casini huic quartae editioni parandae operam navavit, librum exornavit perutili appendice ubi scripta et nuntia recentiora colliguntur, ac simul papyrologia et epigraphia et jus atticum — quippe quae majore studio his

extremis annis praesertim in Italia excoltae disciplinae sint—fustius explanantur.

Opus ergo tum tironibus tum in philologia classica proficientibus maxime commendatur.

A. M. CARRIÓN, O. C.

GRENIER, ALBERT. — *Manuel d'Archéologie Gallo-Romaine*, troisième partie «L'Architecture», 2. vol. Paris, Éditions A. et J. Picard, 82, Rue Bonaparte. 1958, pag. 1020.

GRENIER, ALBERT. — *Manuel d'Archéologie Gallo-Romaine*, quatrième partie: «Les Monuments des Eaux», 2 vol. Paris, Éditions A. et J. Picard, 1960, pag. 983.

En opus optimum laudeque maxime dignum quod ex rebus disputatis et composito modo quo a cl. Professore tractantur, antiquitatis peritis valde arridebit.

Operis scriptor qui ab anno 1906 tot tantisque virtutibus cumulatōs exaravit de Galliae archaeologia libros, nuper—tanquam si opus rerum antiquarum studiosis maximum offerre vellet et singulari arte factum hoc quod lectores in promptu habent, in lucem edidit.

Ex septem quibus opus constat voluminibus, quattuor tantum legentibus offerimus. Primum et secundum ad architecturam retentur: I) *L'urbanisme, Les monuments*, II) *Ludi et Circenses*. Agitur ergo de ratione seu studio urbis incolendarum, quae apud Gallos Romanos—Fori Julii, Aquis Sextilis, Narbone, Nemausi, Arelate, Arausione, Lugduni, cet.—adhibita sunt (pag. 84-265); de capitoliis (pag. 265-282); de foris in antiqua Gallia praeclaris (pag. 283-386); de templis et aedibus sacris (pag. 386-467); de basilicis (pag. 471-559); de amphitheatris (pag. 561-711). Maxime haud dubio lectores caput sextum quod «*De trinum Galliarum amphitheatris*» inscribitur, legere juvabit. Agitur deinde de theatris (pag. 714-878); de theatris amphitheatris (pag. 880-974); tandem de circensibus (976-998). Quae sequuntur, universi de rebus et de tabulis pictis locupletissimi indices.

In tertio et quarto volumine, quibus «*Aquarum monumenta*» est index, de his praecipue eruditione et doctrina plenus, cl. vir Albertus Grenier disputat:

I) De aquae ductibus apud Gallos Romanos (pag. 23-230); de thermis (pag. 231-383);

II) De urbibus—Aquensi Vico, Aquis Sextilis, Aquis Calidis, Aquis Borbonis, cet. (pag. 402-468)—, quae thermis illa tempestate clarissimae fuerunt; de aquarum sanctuariis (pag. 477-952).

Quae duo volumina quoque uberrimis locupletantur indicibus et plurimis variisque exornantur tabulis pictis quae ad libros capiendos manuque tractandos maximo erunt lectoribus commodo.

Cl. tamen auctor Albertus Grenier—ut lectorem praemoneat studiosum—haec in praefatione scribit:

«Je n'ai voulu faire ni un dictionnaire ni un répertoire mais seulement un livre utile au travail de ceux—et ils sont nombreux—qui s'intéressent au passé antique de notre pays. Je me suis contenté de noter les faits en m'abstenant de considérations générales.»

Quibus voluminibus, optima ratione excogitatis atque toras ad rerum antiquarum studiosos et peritos vulgatis, maxime auctorem et clarissimum professorem dilaudamus maximeque ei ex animo gratulamur.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

SALOUSTIOS. — *Des Dieux et du Monde*. Texte établi et traduit par GABRIEL ROCHFORT, Société d'Édition «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, Paris, pag. L, 25 (bis) 60, 13 x 20.

Opus hoc editur auspiciis illius nobilis «Centre National de la Recherche Scientifique». Parvae quidem molis, magni autem laboris fructus. Textus hic graecus Saloustiensis parum adhuc cognitus, haud rarīs laborat obscuritatis naevis quos e medio tollendos curavit praeclarus Professor, de theologia graeca bene meritus, Gabriel Rochfort.

Non nulla praelibantur, in introductione, de vita et opere Saloustii: auctoris agnitio, vita «Saturninos Saloustios Secundos»; propositum et tempus operis «De deis et mundo»; operis virtus ejusdemque compositio; lingua et stilus. Tum agitur de textus Saloustiensis traditione deque principis hujus editionis.

Ante gallicam textus graeci conversionem, eae praecipue innuuntur quaestiones, de quibus in opere Saloustii; post versionem, notae complementariae copiosae atque eae selectae suppeditantur. Index accuratissimus, qui totam quidem rem maxime illustrat. Magni igitur sapientibus pendendus labor clarissimi auctoris huiusmodi scripti hellenici theologici.

I. GONZÁLEZ

ORIENZIO. — *Carme esortativo (Commonitorium)*.

Testo con introduzione e traduzione, di CARMELO A. RAPISARDA. Centro di Studi sull'antico Cristianesimo, Università di Catania, pg. I-XII, 1-32.

Anno 1599 primum inventus codex membranaceus, in bibliotheca monasterii Anchin (in Belgio), quo continebatur hoc carmen, quod insequenti anno, editur a Patre Martino Antonio Delrio, S. J., hac inscriptione: «S. Orientii Illiberitani Commonitorium».

Clarus Professor C. A. Rapisarda de huiusmodi monumento litterario, multa nos docet; cuius verba maxime placent quippe quae a vero et egregio magistro proferantur. In introductione rei memoria perstringitur (pp. V-VIII), bibliographia recensetur (pp. IX-XII). Tum textus latinus hinc, conversio vero italica inde (pp. 1-32). Indice nominum libellus absolvitur.

PHILOPONUS, C. M. F.

TERTULIANO. — *Tre opere parentiche (Ad martyras, de Patientia, de Paenitentia)*. Studio e traduzione di Francesco Sciuto. Centro di Studi sull'Antico Cristianesimo. Università di Catania, pag. CXXX-116, 24 x 17.

Commentatio et conversio italica trium Tertulliani operum, id est *Ad Martyras, de Patientia, de Paenitentia* edita antea sunt in commentario «Miscelanea di Studi di letteratura cristiana antica», vol. 10; 1960, N. 1-2. Additus vero hic est textus latinus nonnullaeque picturae vel potius tabulae e pristinis conversionibus et explicationibus textus Tertulliani.

Propositum clari scriptoris, de historia Tertulliana bene meriti, liquido in praefatio-

ne patet. Textus latinus adhibitus, ut plurimum, sapientium Bulhart et Borleffe. Praeit studium operis *Ad Martyras*, cum inquisitione temporis editionis et libelli explicatione (pp. XI-XXII). Tum erudita lucubratio circa librum «de Patientia» (pp. XXIII-XLVI) ac «de Paenitentia» (pp. XLVII-LXV). Deinde notulae ad textum et ad conversionem (pp. LXVII-XCVIII). Introductionem vero complement non nulla de recto conversionis iudicio deque re bibliographica (pp. XCIX-CXXX).

Altera huius libri pars efficitur textu atque italica conversione trium operum paraeneticorum Tertulliani (pp. 1-114). Facile hic lector in cognitionem veniet litterarum christianarum antiquitatis, quarum quidem clarus auctor, professor est in Catantensi studiorum Universitate.

PAGANO, ANTONIO. — *Feste et Folklore di Scilia*.

Libraia Editrice Bonanno-Actreale. Artigrafiche-Città del Fanciulla-Actreale, pag. 46, 20 x 15.

De lepida agitur disputatione, quam habuit praeclarus vir A. Pagano apud laureatos catholicos in aula magna Scholae Mediae «Giuseppe Macherione». Propositum clari scriptori ex ipsa libelli inscriptione facile dignoscitur.

Clarissimus vero Professor Franciscus Sciacca, Praeses collegii laureatorum, bellam hanc disputationem edendam propagandamque curavit Omnia illa festa, vere popularia, pristinorum temporum in Sicilia tamquam in taenia cinematatis procedunt hoc in libello. Hic de geographia, de historia, de traditione, de usibus, de moribus, de saltandi arte, de poesi populari. Bibliographia autem de re, varia, ampla, in opusculi fine valde curiosis commendanda in exquisitis populorum arbitris ludicris ac festivis.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

BOUSSARD, M. JACQUES. — *Carte archéologique de la Gaule Romaine*. Fascicule XIII. Indre-et-Loire. Centre National de la Recherche Scientifique. pag. XVI, 140, 28 x 22.

Hoc opus vere primum instar monumenti et quasi «forma orbis romani» habendum nobis est.

Hic autem fasciculus tertius et decimus, a clarissimo viro M. J. Boussard elaboratus, cum chartam tum textum praebet ad rite dignoscendum nobile illud «département d'Indre-et-Loire». Tantum vero litterarium archaeologicum monumentum editur, rectore Professore Aiberto Greuter atque auspiciis Instituti Galliae «Académie des Inscriptions et Belles-Lettres et Centre National de la Recherche Scientifique».

Historia, Geographia, Epigraphia, iconographia, bibliographia: omnibus hodiernae scientiae adminiculis utitur scriptor, qui rem jucundam absolutamque, in studiosorum commodum, perficiat. Tabularum pictarum prospectus maxime, vel prima facie, animos rapit. Textus autem facilis ordinataeque lectionis. Optima fasciculo adjungitur geographica tabula de Provincia ibi explicata. Arte denique typographica maxime opus, scriptor, officina libraria honestantur ac nobilitantur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

F. GALIANO MANUEL - R. ADRADOS FRANCISCO
— Segunda Antología Griega. Editorial Gredos, Madrid 1962, pag. 258, 19 x 13.

Sex anni elapsi sunt ex quo editus est optimus ille liber scholaris «Primera Antología Griega», a praeclaris nostratibus Professoribus Galiano et Adrados exaratus. Qui quidem libentes agnoscunt progressum aestimationemque studii linguae graecae apud alumnos nostrarum Universitatum. Quocirca et in majora et meliora hac «Segunda Antología Griega» hi cultores linguae graecae contendere exoptant atque volunt.

Selectio auctorum ampla: Homerus, Solon, Sophocles, Euripides, Tucídides, Aristophanes. Selectio ad calcem notarum, temperata moderataque. Et scilicet: summa sapientia, hac in provincia humaniorum litterarum, modum retinere.

Digni admodum plausu sunt nostri Professores Galiano et Adrados qui tot jam libros ediderunt ad linguam graecam in primis explicandam atque apud nostrates evulgandam, quos, procul dubio, litterarum graecarum cultores magni facient perpendentque.

PAOLI, UGO ENRICO-CASINI NILO. — *Index emendatae latinitatis*. Le Monnier, Firenze 1962. pag. 157, 21 x 14.

In tres partes et appendicem tota distribuitur materies hujus modi «Indicis emendatae latinitatis».

I. In prima parte, afferuntur voces latinae, quibus est etymologia eadem atque italiana, sensu autem differunt. Exempli gratia, *maceries* «muricciuolo», *conducere* «prendere in affitto», *camera* «soffitto», *discurrere* «correre qua e là», *morbidus* «malato» (pp. 3-62).

II. Altera vero pars est elenchus earum vocum latinarum, quae, praeter sensum convenientis vocis italianae, habent alios, etsi si diverso sint vocabulo conversti. Exempli gratia, *exponere* «esporre» et «sbarcare», *gelidus* «gelido» et «tresco», *pestilentia* «pestilenza» et «malaria», *radius* «raggio» et «bastoncino» (pp. 63-100).

III. Denique, in tertia parte, eae colliguntur voces italianae, quibus conveniunt variae voces latinae, juxta diversum sensum. Exempli gratia, «caccia», si agitur de animali terrestri dicitur *venatio*; si de avi, *aucupium*; «andare», juxta sensum, erit *ire* vel *vehi* (pp. 102-148).

In appendice (pp. 149-156), colliguntur voces graecae, quibus alius est sensus in lingua italiana; voces quae et latine et italice diversum habent genus; vocabula a latino in italicum translata, declinatione mutata. Vere aestimandum clarissimorum auctorum propositum «emendandae latinitatis».

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MAURER JR., TH. HENRIQUE. — *Grammatica do Latim Vulgar*. Livraria Academica, Rio de Janeiro, 49 Rua Miguel Couto, 49, pag. 298, 24 x 16.

Volumen sextum et decimum in nobili illa «Biblioteca Brasileira de Filologia». Opus confecit clarus vir Th. H. Maurer, in Universitate Sancti Pauli Professor Philologiae Romanae. Cujus propositum est lectori offerre amplam grammaticae, latini vulgaris synthesisim. Amplificat igitur nota illa opera «Avviamiento allo studio del latino volgare» (Bari, 1949), a claro Professore C. Battisti compara-

tum, atque «Einfuehrung ins Vulgaerlatein» (Monaci, 1954), egregii viri Vossler. Immo quandoque non nulla in melius reddit compendii, a praeclaro Professore linguarum romanicarum C. H. Grandgent exarati.

I. Phonetica (pp. 9-76). II. Morphologia (pp. 77-168). III. Syntaxis (pp. 169-230). IV. Lexicon (pp. 231-280). In his amplis libri sectionibus, omnes ratione et via hodiernas de re notiones aptissime disponit auctor: a) litterae vocales, consonantes, accentus; b) substantiva et adjectiva, pronomina et determinativa, verbum, vocabula invariabilia; c) categoriarum functio, phrasis syntaxis, periodi syntaxis; d) vocabularium vulgare, compositio, derivatio.

Libro optimum complementum: bibliographia, rerum analyticus index, verborum index, index generalis (pp. 281-298). Et auctoris mens et libri totius cursus liquido, praefatione lecta, perspicuntur. Opus vere cultores linguarum romanicarum, si quid mei est iudicii, iuvabit eisque comprobabitur.

PRUDENZIO. — *Psychomachia*. Testo con introduzione e traduzione, di EMANUELE RAPI-SARDA, con 8 tavole fuori testo. Centro di Studi sull'antico Cristianesimo, Università di Catania, 1962, pag. 112, 17 x 24.

Prudentissimus cultor litterarum est huius operis scriptor qui quidem in introductione (pp. 1-36), elaboratam absolutamque synthesis de Psychomachia Prudentiana profert, quae ansam totius operis intelligentiae praebeat.

Textus, cum italica conversione, libri corpus constituit (pp. 37-95); deinde index nominum in Psychomachia (pp. 97-102), atque fontes biblici (pp. 103-104), classici (pp. 105-108). Denique personae allegoricae et anthropomorphismi in litteris latinis Prudentio superioribus exhibentur (p. 109), quorum in Psychomachia (pp. 111-112) multa referuntur.

Appendix, libro additur: *Centro di Studi sull'antico Cristianesimo, Università di Catania, «Elenco delle Pubblicazioni»* (aprile 1962).

Optima typographica arte liber integer praebetur qui studiosis vatis Prudentii magnae aestimationi erit.

CERTAMEN CAPITOLINUM XII, MDCCCCLXI. Curante Instituto Romanis Studiis Provehendis. Istituto di Studi Romani, Piazza dei Cavalieri di Malta, 2, Roma.

Tres latinae lucubrationes selectiores Certaminis Capitolini XII, hoc libello continentur. En tibi nonnulla de Actis Certaminis Capitolini XII.

«Quorum libellorum cum virtutes expendissent atque aestimavissent, nullum quinqueviri dignum habuere quem Praemio Urbis ornarent; secundo autem praemio ex aequo dignos libellos declararunt quibus indices: «Liberi viri; L. Lentuli ad M. Celerem epistulae selectae; Propempticon».

Quos libellos, scidulis resignatis unusquisque nomen continentibus et eisdem sententiis inscriptis, Albertum Albertani, Miecislauum Brozer, Edictum Marelli ex ordine scripsisse patuit».

Ea scilicet quinquevirorum sententia. Tres libelli in vulgus hic eduntur, qui latinam linguam vere honestant intenduntque lectorum animos relaxare.

I. GONZÁLEZ, C. M. F

DRIJVERS, PIUS, O. C. S. O. — *Los Salmos*. Introducción a su contenido espiritual y doctrinal. Versión castellana de Jesús González, O. C. S. O. Editorial Herder, Barcelona, 1962, pag. 238.

Liber hic quamquam inscriptione admodum modesta apparet, est tamen fructus maturus in doctrina, isque usu et experimento monasticae traditionis tot saeculorum decursu comprobatus. Psalterium verum fundamentum orationis liturgicae in Ecclesia; ipse igitur intima cognitio omnibus exoptanda Christi fidelibus, qui Dei vitae communioni uberius vacare possint.

Idque assequi poteris libro Patris Drijvers, cum ejusdem sit profundam adhibere notitiam structurae internae Psalmorum. Lector ad manum hic habet ea omnia elementa, quibus exegesis recentissima explanatur Scriptor evolutionem theologicam notionum propriarum in unoquoque genere Psalmorum sequens hoc opere quasi pontem astringit in Psalterium et in univeros libros divinos

Opus pulcherrime editum est, atque aptissimum quod munere donetur sacerdotibus, religiosi rite institutis. Omnibus certo certius gratissimum erit mirari cum venustatem tum poësin, quae ex Psalmis, quasi e fonte sub platano umbrifera, emanant.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

CICERONE. — *De officiis*, libro III. Vito Costa. Editrice M. Ciranna. Via Cardinale Agliardi, 15, Roma. pag. 140, 17 x 12.

Corpus «I Cirannini» apud Italiae alumnos magnae aestimationis est. Eos quasi manu ducit ad intimam classicorum latinorum et graecorum cognitionem. Auctores hujus corporis Classicorum textum edunt quam facillime praeparatum: constructio directa, versio litteralis et interlinearis, introductio, argumentum, bibliographia.

Hac commodum ratione, librum III de Officiis aptavit in scholarum usum nobilis Professor Vito Costa, cui maximae curae fuit in adimplendo penso. Italica conversio nitide ciceronianam mentem exprimit. Quocirca et luculenter vis institutionis, quae ipsi textui inest, alumni menti quasi instillatur. Etiam a Professore Costa primus et secundus «De Officiis» liber, hoc in corpore, comparatus est. Magno opere latinitatis alumnis opus commendamus.

VIRGILIO. — *Eneide, libro XI*. Introduzione e commento di Gioachino Grasso. Casa Editrice G. D'Anna, Messina-Firenze 1961, pag. 104, 21 x 14.

Multi sunt latini et graeci textus, in usum scholarum, editi a Domo Editrice G. D'Anna, apud Italos in quibus humaniorum litterarum cultus mirum in modum semper viguit. Clari Professores G. Lombardo, G. Puccioni, M. V. Ghesso, S. Zavatti, M. Faggella, F. Del Chiaro, Q. Ficari, O. Bruno, M. Bonaria, accuratis quidem selectisque notis ornaverunt decem priores libros Aeneidos Vergilianae. Nunc vero clarus Professor Grasso hunc undecimum librum studiosis latinitatis commodavit.

Propositum atque methodum erudita introductione et ampla explicat magister. Tamquam libri undecimi Aeneidos synthesim ni-

tidam ibi discipulus haurire potest, ex quo in textus cognitionem facilius inducitur. Commentarium sane amplissimum: eum diceris integram versionem belli carminis Vergilianae.

Hic liber vere ornat nobile illud corpus «Classici Latini e Graeci commentati per le Scuole», cujus est humaniorum litterarum cognitionem provehere et subtile iudicium adolescentium in litteras latinas explicare et excolere.

PHILOPONUS, C. M. F.

GILI Y GAYA, SAMUEL. — *Curso Superior de sintaxis española*. Octava edición. Publicaciones y Ediciones Spes, S. A. Avda. Generalísimo Franco, 259. Barcelona-13, 1961.

Maxime apud nostrates nota est, idque merito, Syntaxis haec hispanica, a clarissimo Professore et Linguae Hispanicae Academico S. Gili Gaya exarata. Octava haec editio, eaque ad unguem castigata longeque in amplius reddita.

Commodus omnino, atque technicae linguisticae respondens, cursus seu tenor in Syntaxi declaranda explicandaque. Post introductionem de ratione adquirendi evolventique sermonis (pp. 5-13), res dividitur tota in amplas tres partes: De oratione simplici (pp. 15-94). De usu partium orationis (pp. 95-258). De oratione composita (pp. 259-331).

Index alphabeticus rerum maxime commendatur ex amplitudine et commoditate. Hujus modi quidem adminiculo studium facillimum redditur, atque ad manum semper est rem consulere. Index etiam generalis nitidus, amplus, perspicuus. Nihil igitur mirum, si apud studiosos hoc opus adeo aestimetur, non aliter atque cetera litteraria opera nobilissimi scriptoris S. Gili Gaya.

I. GONZÁLEZ C. M. F.

BRAUNE WILHEM. — *Gotische Grammatik*. Mit Lesestuecken und Woerterzeichniss. 16 Auflage. Neu bearbeitet von Ernst A. Ebbinghaus. Max Niemeyer Verlag, Tuebingen 1961 8.° XII, 198 Seiten mit 2 Tafeln. Lwd. geb. DM 8.88 (=Sammlung

kurzer Grammatiken germanischer Dialekte. A. Hauptreihe. Band 1).

Lingua gothica longe prima est in germanicis dialectis. Quamquam lingua nunc emortua est, longiqua tamen ejusdem et insignia litterarum monumenta adhuc sapientibus nota sunt. Clarus Professor W. Braune in re peritissimus exstitit, cui quidem in opere iterum edendo successit sunt Professores Carolus Helm et A. Ebbinghaus, hanc qui sextam et decimam editionem perpolivit.

Non nullis de Gothicis eorumque lingua praehabitis atque de fontibus linguae gothicae, in tres partes liber dividitur: de morphologia, de flexione, de bibliographiae appendice. Singulisque capitibus tota res, ad hodiernae scientiae placita agitur.

Bibliographia, copiosa selectaque de lingua gothica, ex se ipsa momentum ejusdem exprimit. Selectiones Evangelii et B. Pauli, graece et gothice allatae, peritiles ad pleniorum hujus «linguae emortuae» cognitionem (pp. 138-171). Vocabulorum index (pp. 172-198) vere notandus. Linguisticae cultores omnino hic thesaurum habent, qui quidem officinae librariae M. Niemeyer et maximam sollertiam et artem typographicam haud parvi, procul dubio, pendent.

I. GONZALEZ, C. M. F.

PROPERTIUS. - *Elegies Book I* edited by W. A. CAMPS. Cambridge at the University Press 1961. 12s. 6d. net.

Propertii poetae, qui hodiernus dici potest, opera magna ambiguitate textus corrupta sunt. Liber tamen I elegiarum hujus notae immunis est, et quamvis brevis, satis superque de poetae elegantia argumenta praebet. Nunc autem liber tribus partibus constat: 1.^a est introductio in qua omnia ad rem selecta sunt; adsunt loci diversi ab oxoniensi textu (a. 1957). Alia pars est textus nitide typis impressus et quam minimo apparatu critico exornatus. 3.^a pars sunt notae historicae, cet., quarum prima cujusque elegiae quasi prooemium est; aliae locos difficiles explicant. Hae notationes indoctis necessariae, utiles doctis erunt; multi enim in eis nexus ad alia sunt. Nihil mirum est quod, cum auctor, ut ipse

fatetur, optimos auctores evolverit et perlegerit, opus perfectum sit.

E. TEJERINA, C. M. F.

A. MARTINET. - *Éléments de Linguistique Générale*. Seconde édition, Librairie Armand Colin, 103 Boulevard Saint-Michel. Paris-Ve, 1961. pag. 224, 16 x 11.

Commodus facilisque libellus, ubi Linguisticae Generalis elementa summam explicantur ab egregio Professore A. Martinet, de re quidem philologica bene merito, cum in cathedra tum in prelo. Via et ratio auctoris propositumque, in hoc opere elaborando, subtilitate quidem animi expositum, in praefatione obtinet.

Tenor vero rei expositionis is: I. Linguistica, sermo, lingua (pp. 9-33). II. Linguarum descriptio (pp. 34-51). III. De analysi phonologica (pp. 52-96). IV. Unitates significativae (pp. 97-145). V. Idiomatum diversitas usque linguistici (pp. 146-176). VI. Linguarum evolutio (pp. 177-217).

Bibliographia de re, et uber et recentissima. Valde «terminologicus» index commendatur, quo doctrina melius intellegatur. Expositio autem luculenta, facilis; immo animo ex se ipsa subripit. Intricatae sapientium hypotheses, dedita opera, mittuntur atque factorum potius leges, quam mentium lucubrationes, expromuntur. Paucis, multum, non multa, de hodierna amplissima Linguistica Generali, in lepido hoc libello, curioso lectori proponitur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

FERRERO, LEONARDO. - *Cultura e poesia in Roma*. II. La Nuova Italia, Firenze. pag. 260, 22 x 15.

De anthologia -vel florilegio- textum latinorum agitur, quae innititur magno illi operi: *La letteratura latina. Profilo e testimonianze*, edita da «La Nuova Italia», 1959. Ita vero textus et lectiones in libro exponuntur, ut facile modoque absoluto totum rei publicae tempus, immo populi romani historia, ob oculos lectoris quasi appareat.

Sermo solutus atque versus lepide intercluntur, quo efficitur ut studium litterarium

ima animi iucunditate afficiatur. Mens ibi et cogitatio lectoris exercetur. Et scriptorum cultura, et temporum mores, et diversa Romanorum gentia aliaque huiusmodi curioso pedetemptim innotescunt.

En tibi, speciminis gratia, index capitulorum: *Introduzione. Interpretazione della cultura romana.* I. *Cultura popolare e cultura aristocratica.* II. *Cultura ed organizzazione della società.* III. *Spiriti d'indipendenza della letteratura borghese e popolare.* IV. *Patronato e direzione della cultura.* V. *Il confluire degli ideali nel circolo letterario.* VI. *La fine d'un secolo.* VII. *Potere e cultura.* VIII. *Il dramma dei poeti.*

PHILOPONUS, C. M. F.

A. PRUDENZIO CLEMENTE. — *Cathemerinon*, traduzione in prosa e in versi di Raffaele Argenio, Società Editrice Dante Alighieri, 1959, pag. 207.

In tot tamque illustribus christianis vaticibus qui post Chr. n. floruerunt, Prudentius, poeta hispanus, christianorumque poetarum, ob hymnos eximios atque carmina, princeps clarissimus, primum semper et ubique obtinuit locum. Noli ergo, lector, mirari quod nobilissimi huius poetae carmina viris per orbem litteratis, constanti studio fuerint et indagati.

Illustris vir Raphaël Argenio librum de Prudentio qui «*Cathemerinon*» inscribitur, nobis praebet, sed methodo ad hoc tempus vere nova pertractatum.

Liber constat ex praefatione (p. 5-20) ubi de poësi christiana generatim agitur, de Prudentii vita et operibus, deque virtutibus et vitis («*tendenza a dipingere i dettagli orribili, la verbosità, il cattivo gusto, l'improvvisazione...*»), licet vitia haec aetati suae non Prudentio tribuenda sint. Bibliographiam hodiernam et optimam auctor etiam offert. Praeter praefationem liber in partes duas dividitur: Quarum in prima (p. 22-131) — quae est libri praecipua — de unoquoque hymno significatio, finis, saepe partitio, leges metricae, hymnorum fontes, commentaria, conversio oratione soluta in italicam linguam proponuntur; in altera vero parte (p. 145-207) eorumdem duodecim hymnorum translatio praebetur italica,

sed carmine contexta ut melius Prudentii numerus et exprimat et percipiatur.

Optimus nobis Raphaëlis Argenio liber videtur et utilissimus ad hos Prudentii hymnos captendos.

PUBLICO VIRGILIO MARONE. — *Le Corna d'oro*, passi scelti da «*Le Georgiche*» e «*Le Bucoliche*» a cura di Peppino D'Amico. Editrice Setti, Milano, 1961, pag. 68.

Clarissimus vir PEPPINO D'AMICO, cuius haec sunt verba: «*ho sempre ardentemente sognato di far «sentire» ed «intendere» agli altri la poesia di Virgilio così come ho creduto finora di capirla e di intenderla dentro di me...*», quique poetam se praebet elegantissimum, hunc de Vergilio iucundissimum in lucem edidit libellum, quem si legeris, latinarum litterarum cultor, — nos, plane dicimus, oculis inexpleris legimus —, maximam ex eo percipies delectationem.

Ut ipsa fasciculi inscriptio significatur, de locis agitur ex Georgicis et Bucolicis selectis quos cl. auctor — variorum operum scriptor atque praemio in certamine quoddam internationali anno 1956 habito donatus — modo dicendi vere poetico versuque libero, sed certo syllabarum numero composito italice reddidit, eo fine ut omnes Vergilii carminum poësim capere possent atque suavitatem.

Lectores vero certiores facere cupio illustrem scriptorem PEPPINO D'AMICO Mediolani ferriviarium esse, ideoque — cum totam noctem in ferrivia laborando egerit — optimum hunc de Vergilio libellum nocturno tempore («*ore di sonno...*») lucubrasse... Quae est, nostra sententia, maxima virtus. Ut de Vergilio musicam et iucunditatem, lectores percipiantis, en pauca a PEPPINO D'AMICO italice reddita accipite carmina:

Avesti ben potuto riposare
stanotte, insieme a me su verdi foglie!
Io ho tenere castagne e dolci mele,
e provvigioni pingui, di formaggi.
Vient, chè lontano è già il fumare
dei tetti dei villaggi, e cupe, l'ombre
cominciano dai monti giù a calare.

(Egl. 1, 79-83)

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

MINISTÈRE DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE. — *Code de terminologie grammaticale*. Essai de coordination (Edition revue), pag. 52. 23 x 15.

Ab anno 1936 publica seu officialis, apud Gallos terminologia grammatica explicabatur in libello, cui inscriptio: «Unification de la terminologie grammaticale». Qui precedente tempore, deficiens prorsus evasit. Eidem hic codex, a magistris una in rem consentientibus est suffectus, idque dextro omne. Et scientiae et paedagogiae rite doctrina congruit. Totus animorum consensus, in terminologia sex linguarum exprimenda, haud ita scilicet facilis erat. Generatim codex omnium votis ardebit.

De re quasi historia in praefatione agitur a clarissimo viro Camillo Huymans exarata ex auctoritate. Ac primum agitur de terminologia grammatica in institutione gallica, prima lingua. I. Phonetica, orthophonia, orthographia. II. Vocabularium. III. Morphologia et syntaxis. a) Rationes et functiones. b) Terminologia uniuscujusque generis vocabulorum propria. c) Enuntiatum.

Deinde agitur de terminologia grammatica in docendis linguis antiquis, graeca et latina. a) Sensus et signa. b) Morphologia. c) Syntaxis. Tota libelli explicatio clara et nitida, atque ceteris tradendis linguis maxime aptata commodiorisque usus.

I. GONZALEZ, C. M. F.

ERODOTO. — *Costumi e vicende d'oriente*, a cura di Silvestro Guido, Ed. Luigi Loftredo, Napoli 1960, pag. 190.

Optimo hoc volumine, quod libenter legentibus offerimus, animus cl. vir Vido Silvestro induxit ut his nostris temporibus, quibus «si ritorna a parlare di Occidente e di Oriente in termini antitetici»..., res, historiam, vicissitudines — quas aliquando Herodotus scripsit — omnibus his praeberet qui aequo animo cultum, vim, opera, momentum orientis agnoscere cuperent

Praeterea, cum Herodotus scriptor «uno degli spiriti più alti della παιδεία occidentale» sit, quid melius atque utilius quam in promptu adulescentes librum, quo jucunde et ingenue

de antiquis gentibus narrationes — ex «Historiis» decerptae — exponuntur, habeant?

Ideo cl. vir Vido Silvestro hunc accurate paratum, edidit librum, scholis aptissimum, commentariisque variis et notulis ornavit.

Volumen in partes duas dispertitur, quarum prima ad antiquos Persas, Babylonios, Aegyptios, Indos, Arabes, Scythas, Thraces, Libyos depingendos, altera vero pars ad viros et facta nobilitate describenda destinatur.

Liber appendice clauditur quae ad Herodoti historiae rite intellegendas magnopere inserviet.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

BATTAGLIA, SALVATORE. — *La tradizione di Ovidio nel Medioevo*. Archivio di Filologia Romanza (1), R. Pironti e Figli Editori in Napoli, L. 50.

Fasciculus qui incipit «I. Premesse», sub novem numeris continet primas paragraphos totidem capitum libri futuri, ad quem auctor abhinc multos annos (1935) materiam apparandam curat: quem etiam ex hoc hujus libelli specimine opus, utpote viri his rebus implicati, maturum esse licet sperare omnibusque his studiis deditis exoptandum. Ex his quae, appositis documentis, anticipantur, satis ostenditur quantum Ovidii opera et medii aevi cultus in commune habeant, quantumque in occidentis, seu christianas litteras Ovidius invaserit. His indicis liber, qui amplior copiosisque documentis refertus praeparatur, non tantum litteris classicis sed etiam historiae cultus europaei, religionis, philosophiae et omnibus disciplinis quae ad animum pertinent magno momento futurus esse conjici potest. Magna erit hujus libri laus et utilitas si studiosos ita instruxerit ut Ovidii opera — tam pulchra eademque tam periculosa — tractari ut instrumentum vere utile possint

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

RUNES, DAGOBERT. — *The Art of Thinking* Philosophical Library. New York 1961.

Non nisi in laudibus hujus libri forma habenda est. Stilus etiam, sive incisim sive

membratim procedat, vi quadam et quasi firmitate delectat. Sunt tamen sententiae circa quaedam doctrinae capita quae tortuosae vel forsitan non verae sonant, aut syncretismum sapere videntur. Sunt alia confusa, indistincta multa, de quibus dici posset «distingue tempora et concordabis jura». Praeterea non bona, opinor, arte cogitandi opus conficit qui tali se implicat «pessimismo» in rebus considerandis, —in lege v. gr.— ut solum quod malum est reperiat. Nec manifestum est ipsum auctorem «motivated thinking» vel «astonishingly untrue thought patterns» evasisse, qui ita parum docte admittit, neglecto sitne verum quod gregario modo accipi solet, ut Hispaniam tyrannidi sovieticae aequiparare. In hoc libro legendo claret, —quia deest—, splendor philosophiae receptae ejusque serena firmitas et doctrinae excellentia. Haec est vera cogitandi ars. Neque id tamen statuere volo, non nisi non vera libro inesse; multa optima, quae libenter laudamus, acute valideque expressit.

E. TEJERINA, C. M. F.

BOEZIO. — *Philosophiae consolatio*. Testo con introduzione e traduzione di EMMANUELE RAPISARDA. Centro di Studi sull' Cristianesimo, Università di Catania, 1961, pag. XL, 222, 24 x 16.

Controversiae perennis causam diceret boethianum librum, cui inscriptio «Philosophiae Consolatio». An potius neoplatonica doctrina ibi explicetur, quam christiana, hodieque apud sapientes disceptatur. Clarus Professor E. Rapisarda, in boethiana philosophia interpretanda mente peritissimus est, nam ejusdem magistri sunt opera: «La Crisi spirituale di Boezio, Firenze, 1947; Consolatio poësis in Boezio, Catania, 1960, seconda edizione».

Ex densa eruditaque introductione (pp. IX-XXXIX) boethianum opus facilius intellegitur ab rei studioso, qui tanquam manu in intimam «Philosophiae Consolationis» medullam ducitur. Latinus libri textus optimis hodiernis editionibus fulcitur, praesertim vero editioni cl. L. Bieler (Turnholt, 1957, «Corpus Christianorum»).

Italica autem versio vera est boethianae

mentis interpretatio, a magistro in re perito nobis comparata. Apendicis ergo adsunt: Index locorum Sacrae Scripturae, fontes et similia, index nominum, index et mensurae carminum, index operis generalis (pp. 203-222). Magni facient, procul dubio, opus cultores philosophiae christianae pristinae et qui scite de philosopho Boethio sapiunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ISIDORIANA. — Estudios sobre San Isidoro de Sevilla, en el XIV centenario de su nacimiento. Centro de Estudios S. Isidoro. León 1961, pag. 556, 24 x 17.

Amplum, varium, eruditumque volumen, ad personam opusque incliti Episcopi Hispanensis commemorandum. Ibi colliguntur commentationes, relationes, colloquia Congressus Internationalis Studiorum Isidorianorum, Legionis (in Hispania) habiti (28 m. septembris — 5 m. octobris, anno 1960). Haec disputationum Isidorianarum collectanea rexit clarus vir Emmanuel C. Díaz y Díaz, eique editioni patrocinio fuere Facultates Philosophiae et Litterarum Universitatum Hispanicarum.

Quinque et viginti auctores, omnis linguae maximaeque doctrinae, huic erigendo monumento Sancto Isidoro praesto sunt, quos inter J. N. Hillgarth, A. C. Vega, J. Pérez de Urbel, T. Ayuso, L. Brou, M. Pellegrino, B. de Gaiffier, B. Bischoff, L. Castán Lacoma, J. Jiménez Delgado, J. Solá.

Summa Colloquiorum magni Congressus Internationalis ea: I. *La originalidad de Isidoro*. II. *La trascendencia de Isidoro*. III. *Medios de trabajo. Conclusiones de la reunión*. Indices in volumine adsunt locorum Isidorianorum memoratorum, manu scriptorum, auctorum.

I. GONZALEZ, C. M. F.

KOCH, CARL — *Religio*. Studium zu Kult und Glauben der Roemer. Erlanger Beitrage zur Sprach- und Kuntswissenschaft, Band VII. Verlag Hans Carl Nuremberg, pag. XVI - 272, 23 x 16.

Sententiis crebrum scitumque hoc volumen studio culturae et religionis Romanorum tribuitur. Praefatio est clari Professoris O Seel, hujus voluminis editoris. Brevis biogra-

phica scriptoris notitia, anno 1956 vita functi, libro antequam. Operis tres diversae partes: diti (pp. 1-93), Roma (pp. 94-175), fides (pp. 176-252).

Prima vero pars: I. Tres quasi adumbrationes religionis vestalis. a) Probrum virginis vestalis; b) Vestae et Jovis ritus; c) Salus publica. II. Disputatio de Romanorum cultu Quirinali. III. Quaestiones de historia venerationis Romanorum erga Venerem.

Altera pars: I. Divinitas et homo... II. Odorum Romanorum cyclus. III. Roma aeterna.

Tertia pars: I. Cultus civitatis romanae in speculo apologeticae augustae ac pristinae rei publicae. II. De secreta virtute deorum anthropomorphorum. Tandem notitia bibliographica, breviarum explicatio, litterarum index, bibliographia Caroli Koch, index totius operis.

A. MARQUÉS, C. M. F.

J. DEFRADAS. — *La littérature grecque*. Collection Armand Colin, 103 Boulevard Saint Michel, Paris - V^e, pag. 224. 16 x 11.

Verum scientiarum monumentum nobile illud corpus «Collection Armand Colin». Haec ingentis bibliothecae sectiones: Philosophia, Linguae et Litterae, Historia et Scientiae historicae, Geographia, Mathematica, Physica, Chymica, Biologia, Mechanica et Electricis, Jus, Ars militaris, Technica civilis, Agricultura.

In serie vero Litterarum, numero quadragessimus et trecentissimus est scitus liber hic, a praeclaro viro Joanne Defradas, in Universitate Insulensi (Lille) Professore, exaratus. Summa Litterarum Graecarum ibi contrahitur, et scientia et paedagogica arte atque lepida dictione commendanda.

Aptus de unitate et diversitate litterarum graecarum se habet auctor in praefatione (pp. 5-10). In primis de archaico litterarum graecarum tempore: poësis homerica, Hesiodus, poësis archaica (pp. 11-53). Tum praecipua de classico tempore, ab initio bellorum Medicorum usque ad Athenarum excidium (pp. 54-178). Denique de tempore hellenistico et romano: poësis alexandrina, historici, philosophi sapientes (pp. 179-217).

Conclusio libri summaria, bibliographia, graecorum auctorum index (pp. 218-224).

PHILOPONUS, C. M. F.

HEMPEL, DR. HEINRICH. — *Gotisches Elementarbuch*. Grammatik, Texte mit Uebersetzung und Erlaeuterungen. Sammlung Goeschen, Band 79-79a. Walter de Gruyter et CO, Berlin 1962, pag. 166, 15 x 10.

Inter germanicas linguas exstat gothica, in germanico vero orientali longe prima ad grammaticam comparatam perficiendam. Ut nunc est, provincia haec germanicae linguisticae mortua manet, etsi ad nos usque transmissa est librorum sacrorum gothica translatio (s. IV p. ch. n.), a clarissimo viro Ulphila exarata.

Jam vero novum hoc volumen, in corpore «Sammlung Goeschen», a nobilissimo Professore Dre. Henrico Hempel compositum, grammaticam nobis gothicam praebet, prout recentissima rei scientia explicatur. Selectus litterarum index cum breviarum notitia praebet (pp. 4-5). In introductione autem de Gothis, de Ulphila ejusque librorum sacrorum versione, de ceteris linguae gothicae monumentis, de gothica scriptione non nulla perstringuntur (pp. 6-14).

Tum grammaticae cursus erudite ostenditur, linguistica recentissima duce (pp. 14-88). Deinde selectio textuum biblicorum (*Mat. VII-VIII et XXVI; Marc. X-YI; Luc. IX; Joan. VII; Cor. II, VII-VIII; Neh. V-VIII*), qui hinc graece, inde gothice commodantur, una cum scientificis notulis (pp. 89-150). Neque alia desunt, minoris autem pensae, documenta (pp. 150-158). Indice denique vocabulorum opus rite absolvitur. Et Professoris Hempel in re auctoritas, et tertia in melius reddita libri editio firmissimum sunt in operis laudem argumentum.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PARATORE, ETTORE. — *L'Epicureismo e la sua diffusione nel mondo latino*. Edizione dell'Ateneo Roma, pag. 100, 25'5 x 17.

Hic eruditione et doctrina refertus fasciculus a praeclaro Professore litterarum classicarum H. Paratore nuper editus, primus est

fasciculus Commentarii «Rivista di Cultura Classica e Medioevale». Quae alias de philosophia Lucretiana ediderat doctus Professor, hic contrahuntur atque ampliore ratione exponuntur.

Hac monographia philosophia pristina Romanorum, in primis Epicuri discipulorum, investigatur deque re amplissima bibliographia, paucis tamen paginis, profertur. Totus vero fasciculus uno quasi tenore, propositum in inscriptione expressum aptissime explicat. Liber tamen magis philosophiae, quam rei litterariae tractatus; philosophiam vero Lucretianam, ut auctoris mens erat, unam ibi modo historico illustrat bene meritis de litteris humanioribus Professor.

A. MARQUÉS, C. M. F.

THESLEFF, HOLGER. — «Yes» and «no» in Plautus and Terence. Commentationes humanarum litterarum, XXVI, 3. Societas Scientiarum Fennica. Ejnar Munksgaards Forlag, Kobenhavn. pag. 83, 15 x 23.

Omnis quidem processus «affirmationis» et «negationis» considerari potest ratione et via, cum in singulis linguis, tum in ampliore synthesi linguisticae generalis. In introductione hujus eruditae lucubrationis res, commodi gratia, sub usu non nullarum linguarum europaearum cernitur (pp. 5-11), quo et iter facilis ad studium et investigationem in Plauto et Terentio peragenda paretur.

In altera libri parte, quidquid ad affirmationis formas attinet, sedula diligentia exprimitur. Ibi de responsione anaphorica, de anaphorae substitutis, de subintellecta anaphora, de responsione descriptiva, de graecis loquendi modis (pp. 12-52).

Altera vero in parte, quidquid ad negationis formas spectat, declaratur. Estque de anaphora explicita, de compositis ex *ne*, de *haud*, de *minime*, ceteris (pp. 53-63). Tum scite de

voce *immo* deque negatione implicita disseritur (pp. 64-67).

Conclusionem et summario, quasi uno conspectu, tota res collustratur, quae intuitiva ratione ab latinistis studioso commode capi necesse est (pp. 68-77). Perficitur vero opus indice vocabulorum latinorum et phrasum, indice vocabulorum graecorum et phrasum, indice rerum aliisque indicibus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

CORNELII TACITI. — *De vita et moribus Julii Agricolae liber*. Testo, introduzione, commento e versione di VITTORIO D'AGOSTINO. Biblioteca della Rivista di Studi Classici edita e diretta dal Prof. Vittorio d'Agostino, 1962, pag. 124, 17 x 24.

Secundum est hoc volumen in corpore «Serie seconda, Testi classici commentati». Ex allata vero inscriptione propositum praecleari auctoris V. D'Agostino declaratur. In ampla eaque erudita introductione notae biographicae Taciti, ejus opera — *Dialogus de oratoribus*, *Agricola*, *Germania*, *Historiae*, *Annales* —, summarium de *Libro Agricolae*, ejusdem generis litterarium, fides et auctoritas, fontes, stilus, codices, bibliographia: omnia a nobilissimo auctore perstringuntur (pp. 1-12).

Tum Taciti textus ejusdemque commentarius (pp. 13-88). Atque *vita Julii Agricolae* — cum italica textus translatione — (pp. 89-112). Denique chronologica tabula expugnationis Britanniae, index praecipuarum in commentarii notarum, index nominum propriorum, index tabularum pictarum (pp. 113-122). *Alumni latinistae commodus liber*, dignus omnino illius nobilissimae B.: «Biblioteca della Rivista di Studi Classici». Ex animo operam Professoris V. D'Agostino, in classicis litteris amplificandis evulgandisque impensam colaudanuis. I. GONZALEZ, C. M. F.

PALAESTRA LATINA

Index rerum atque scriptorum

a. 1961 et 1962

Disputationes praecipuae

1961 — *J. Jiménez Delgado*, Liber qui «De miraculis Sancti Isidori» inscribitur, 1.

Ae. Orth, De antiqua logica, 7.

N. Mangeot, De ludis gladiatoris, 15.

C. Eichenseer, De adventu Legati Pontificii, 65.

Ae. Orth, Ciceronis doctrina de scientia, 77.

N. Mangeot, De Hannibale, 87.

J. Sidera, Servus Dei P. EMMANUEL JOVÉ, C. M. F., 135.

J. Aramendia, Dulce et decorum est pro Christo mori, 143.

S. B. Pereira, Augustus, 157.

N. Mangeot, De Augusto imperatore, 160.

Ae. Orth, De Vitruvio, 167.

1962. — *A. Guercio*, Vergilius, «Pius vates et Phoebos digna locutus»..., 249.

Ae. Orth, De Porphyrio, 258.

N. Mangeot, De papyro, libris, bibliothecis actisque.... 262.

Quid sentiant de Constitutione Apostolica «Veterum Sapientia» PALAESTRAE LATINAE Moderatores, 313.

J. M. Mir, Adnotationes: Constitutionis Apostolicae opportunitas, pondus, gravitas; lex-capita-decreta, 323.

Fr. Aloise, De Josephi Toraldo carminibus nondum in lucem editis, 324.

J. Del Ton, Smaragdus, 338.

N. Mangeot, Aurelius Prudentius, poeta hispanus, 377.

Ae. Orth, De Petronio, 383.

A. Avenarii, De studio linguae Latinae adnotationum, 387.

J. Jiménez Delgado, De numerosa S. Leonis Magni oratione soluta, 441.

C. Eichenseer, De ascensu montis Olympi, 449.

A. Avenarii, De studio linguae Latinae adnotationum, 458.

Carmina

1961. — *P. B. Schmidt*, Fabula Stellienstis, 26.

R. Pavone, Ad vesperam. Funere mersit acerbo. Quercus defecta. Evangelicae beatitudines. Sturnina equulea, 88.

D. Migliazza, Imago Horatii, Fanum Jovis, 175.

1962. — *B. Schmidt*, Grues Ibycinae, Duae ranae. Hilaris et tristis, 269.

R. P., Praesepe. Magi Reges. Non ut lupus homol 341.

F. M. Brignoli - F. Aloise, Smaragdus — Lo smaraldo, 390.

P. Bruno, Amor et odium, 456.

Epistularum inter socios commercium

1961. — *Card. A. Bacchi - Mir, Avenarius - Mir*, 32.

Mir - Basilus - Bonamicus - Caelestis - Ijsewijn - Fontanini, 200

1962. — *B. Fontanini - Mir - Gr. Joseph - II. González*, 284.

Card. Pizzardo. - Fontanini - Mir, Fr. Basilus - Mir, 348.

Eichenseer - Mir, 408.

Per Orbem

1961. — *J. Sidera*, 40, 102, 193.

1962. — *J. Aramendia*, 289, 354, 418, 470.

Nova et Vetera

1961. — *J. M.^a Mir*, Villa hodierna, 18.

E. Jové, Fabri lignarii ferramenta, 151.

1962. — *J. M.^a Mir*, De cena et prandio apud Romanos et apud nos 276.

J. M.^a Mir, De grammophono, 410.

J. M.^a Mir, Culina hodierna, 401

Varia

1961. — *J. Ijsewijn*, *Cursim notata*, 39.
J. M.ª Mir, *Laudemus gloriosam Martyrum mortem*, 133.
J. Ijsewijn, *Ad mortem Josephi Favaro, anatomici Mutlensis*, 181.
M. Molina, *Jubilaei Sacerdotalis eclogarii*, 183.
1962. — *Sinctissimi Domini Nostri Joannis divina Providentia Papae XXIII Constitutio Apostolica de Latinitatis studio provehendo*, 317.
H. Campanus, *De quadam «perdita ove» et de quibusdam perditis libris ad Joannem Pighi epistolium*, 34.
C. Francis, *Clavos a militibus romanis primo post Chr. n. saeculo relictos in Caledonia*, 346.
Gr. Joseph, *De latino nomine urbis quam «Lourdes» Galli vocant*, 347.

Bibliographia

1961. — *A. Ernout*, *Pline l'Ancien: Histoire Naturelle*, 46.
J. Perret, *Virgile*, 46.
S. Walter, *Über die klassische Theorie und Praxis des antiken Prosarhythmus*, 47.
Mattes, *Odyseus bei dem Phäaken*, 48.
Hove-Craps, *Elocution et rédaction par l'image*, 48.
G. Meautis, *Mythologie Grecque*, 49.
J. Schuringa, *Adversaria*, 49.
B. de Rachewiltz, *Kunst der Pharaonen*, 49.
E. Manni, *Introduzione allo studio della Storia greca e romana*, 50.
L. M. Fischer, *Le formulaire du jeune latiniste*, 50.
M. Rat, *Comment faire la version latine*, 50.
M. Jouhandeau, *Lettres d'Héloïse e d'Abélard*, 51.
Roemische Dichtung. Virgil, Horaz, Ovid. Lateinisch gesprochen von Viktor Poeschl, 51.
H. Hungert, *Lexicon der griechischen und roemischen Mythologie*, 52.
M. Gester, *Repertoire de vocabulaire latin*, 52.
F. Trisoglio, *S. Gaudenzio da Brescia Scrittore*, 52.
Quiring, *Heraklit Worte toenen durch Jahrtausende griechisch und deutsch*, 52

- A. C. Moorhause*, *Studies in the Greek Negatives*, 108.
N. Dag, *Introduction à l'étude de la ver-sification latine medievale*, 108.
L. dal Santo, *Crispo Sallustio: De conjuratione Catilinae*, 108.
Atti del Congresso Internazionale Ovidiano. Sulmona, 109.
M. Delcourt, *Images de Grèce*, 109.
H. Goelzer, *Le latin en poche*, 109.
C. Egger, *Tirolensia Latina*, 110.
A. Huonder, *A los ptes del Maestro*, 110.
P. Ciprotti, *Cognoscere Pompei*, 110.
A. Severyns, *Homère l'artiste*, 111.
O. Brachfeld, *Los sentimientos de infertididad*, 111.
Th. Steinbuechel, *Los fundamentos filosóficos de la Moral Católica*, 112.
Beaudenom, *Meditaciones sobre el Evangelio*, 112.
R. Allers, *Pedagogía sexual y relaciones sexuales*, 113.
L. Rey Altuna, *La inmortalidad del alma a la luz de los filósofos*, 113.
Laloup, Jean-Nrlis, *Dimensiones del Humanismo contemporáneo*, 113.
A. Ronconi, *Interpretazioni grammaticali*, 114.
R. Fernández Retamar, *Idea de la estilística*, 114.
B. Migliorini, *Storia della lingua italiana*, 114.
M. Sancipriano, *Il pensiero psicologico e morale de L. Vives*, 115.
R. W. Gleason, *Cristo y el Cristianismo*, 115.
H. Erbse, *Betraege zur Ueberlieferung der Iltasscholien*, 116.
H. Munding, *Hestods Erga in ihrem Verhaeltnis zur Ilias*, 116.
J. Götte, *Vergil: Landleben. Bucolica-Georgica Catalepton*, 116.
L. Moulinier, *Quelques hypotèses relatives à la géographie d'Homère dans l'Odysée*, 117.
A. Maddalena, *Sofocle*, 117.
P. Frassinetti, *Storia della letteratura latina per le Scuole Medie Superiori*, 117.
M. Napoli, *Napoli greco-romana*, 118.
J. M. de Sagarra, *W. Shakespeare: El mercader de Venècia. La tempestat. L'amanstment de l'Harpia*, 118.

- M. de Montoliu, *Austàs March*, 118.
 G. *Plinval*, *Cicéron: Traité des Loix*, 119.
 G. *Goossens*, *L'art de l'Asie intérieure dans l'antiquité. Les époques*, 119.
 N. *Marinone*, *M. Tullio Cicerone: De finibus bonorum et malorum*, 119.
Genovesi Victorit, *Carmina*, 120.
Ferrero, *Cultura e Poesia in Roma*, 120
 G. A. *Mansuelli*, *La politica di Cneo Pompeo Magno*, 120.
 A. *Merlaud*, *Pastoral de la Infancia*, 210.
 G. *Ammendola*, *Cicerone: In pensiero filosofico*, 210.
 H. *Morier*, *La psychologie des styles*, 210.
 P. *Grimal*, *Horace*, 211.
Certamen Capitolinum X, MDCCCLVIII, 211.
 N. *Marione*, *Cicerone: De natura deorum*, 212.
Duchet-Suchaux, *Histoire Romaine*, 212.
Duchet-Suchaux, *Histoire Grecque*, 212.
 M. J. *Bayo*, *Virgilio y la Pastoral española del Renacimiento*, 212.
 C. *Rabirtus*, *Bellum Actiacum*, 213.
 J. *Guillon*, *Platon: Apologie de Socrate*, 213.
 J. *Svennung*, *Anredeformen*, 213.
 C. *Gallo*, *Imitamenta latinitatis*, 214.
 L. *Algisi*, *Juan XXIII*, 214.
Studien zur Textgeschichte und Textkritik, 2115.
 A. *Brunot*, *El genio literario de San Pablo*, 215.
 E. *Paratore*, *Plauto: Curculio. Amphitruo. Casina. Miles gloriosus*, 216.
 P. A. *Sanjuán*, *El ensayo hispánico*, 216.
 A. F. *Stenzler*, *Elementarbuch der Sanskrit-Sprache*, 216.
 A. *Champdor*, *Délos, l'île d'Apollon*, 217.
 G. *Aigrisse*, *Psychanalyse de la Grèce Antique*, 217.
 R. *Harder*, *Publius Ovidius Naso: Libes Gedichte*, 217.
 E. *Brandt*, *Apulejus: Der goldene Esel Meramorphosen*, 217.
 J. *Wilson Pultney*, *The bronze tables of Iguvium*, 218.
 W. *Sweet*, *Vergil's Aeneid a structural approach*, 218.
 F. *Xaver Arnold*, *Al servicio de la fe*, 218.
 L. *Adam*, *Rom*, 219.
 C. *Curti*, *Convivium Dominicum*, 219.
 R. *Delvaux*, *Pour oser bien parler*, 219.
 A. *Salvatore*, *Appendix Vergiliana II*, 219.
 J. F. *Niermeyer*, *Mediae Latinitatis Lexicon Minus*, 220.
 I. *Cirannini*, *Per non essere bocciati!*, 220.
 J. M. *Lumbreras Meabe*, *Los Colegios de la Iglesia en España, ¿son un negocio?*, 229.
 R. *Warner*, *Il giovane Cesare: biografía immaginaria*, 221.
Publius Ovidius Naso: Fasti. Festkalender Roms, 221.
 I. *Roca Meliá*, *Demetrio Crisoloras y su Homilía inédita sobre la dormición de María*, 222.
 J. *Goldbrunner*, *Libreta de clase de las primeras catequesis*, 222.
 J. *Goldbrunner*, *Libreta de clase del «Catecismo Católico»*, 222
 A. *Kabza*, *Marcus T. Cicero: De finibus bonorum et malorum*, 222.
 C. *Soltero Gómez*, *El «Apéndice Virgiliano»*, 222.
 L. *Bieler*, *Geschichte der Roemischen Literatur*, 223.
 L. *Ferrero*, *Cultura e poesia in Roma*, 223.
 O. *Prinz*, *Itinerarium Egeriae*, 223.
 A. *Trzeciecki*, *Carmina Wiersze Lacienskie*, 224.
 G. *Freundenberg*, *Die Rolle von Schoenheit und Kunst im System der Transzendental philosophie*, 224.
 M. *Pohlenz*, *Plutarchus: Moralia, VI-12-3*, 224.
 E. *Kraner*, *C. Julii Caesaris Commentarii de Bello Civili*, 225.
 W. *Watt*, *M. T. Ciceronis Epistulae*, 225.
 E. *Woodcock*, *A new Latin Syntax*, 225.
 E. *Löfstedt*, *Late Latin*, 226.
 M. *Balasz*, *D. J. Juvenal: Satires*, 226.
 G. *Colom*, *P. Papini Estaci: Silves*, 228.
 M. *Dolç*, *Q. S. Florent Tertullia: Apologétique*, 227.
 M. *Olivar*, *Plaute: Comédies, El Malcarat, La Maleta*, 227.
 J. *Coromines*, *P. Terenci Afer: Comédies, La sogra, Els germans*, 227.
 G. *Soyter*, *Griechischer Humor von Homers Zeiten bis heute*, 227.
 M. *Treu*, *Menandri Dyskolos*, 228.

- W. Schöne, Sallust: Werke und Schriften, 228.
- U. Carlotti, Mirabilia Urbis Romae, 228.
- Q. Curtius, Rufus, Geschichte Alexanders des Grossen, 228.
- F. Hjalmar, Griechisches Etymologisches Wörterbuch, 229.
- K. Büchner, Sallust, 229.
- S. Mariotti, Sintaxis Latina, 229.
- J. Van den Besselaar, Propylaeum latinum, 230.
- H. Holtore, P. Vergilius Maro: Die grössten Gedichte, 230.
- G. Stuart, Das Rätsel Ulysses, 231!
- A. Griera, Vocabulario vasco, 231.
- A. Cart, La deuxième année de latin, 231.
- E. Moyano Llerena, Latin Vital, 232.
- H. Ettensperger, El libro de los monaguillos, 232.
- A. Merlaud, Pastoral de la infancia, 293.
- J. Jiménez Delgado, El latín de Tito Livio, 295.
- D. Runes, Letters to my Teacher, 296.
- H. H. Paoli, Varius Libellus, 296.
- J. Guennou, La Costurera Mística de París, 296.
- F. Klingner, Horatii Flacci Opera, 297.
- G. Cremaschi, Guida allo studio del latino medievale, 297.
- Van der Heyden, Atlas of the Classical World, 297.
- Ch. Rosset, Exercices, Versions et thèmes latines, 298.
- W. Huenermann, S. Pio X, la llama ardiente, 298.
- F. García Yagüe, Platón: Critón, 299.
- E. Romagnoli, Filología e poesia, saggi critici, 299.
- H. H. Paoli, Carmina, 299.
- G. Luck, The Latin Love Elegy, 300.
- E. Pighi, Res et amores, 300.
- Th. Herrle, Froehliches Latein, 300.
- E. Griset, M. Anneo Lucano: Bellum Civile, 358.
- G. Beach, Locutionum cotidianarum Glossarium, 358.
- E. J. Jonkere, Social and Economic Commentary on Cicero's De Imperio Cn. Pompei, 359.
- N. Hammond, A History of Greece, 359.
- B. Schultze, Teología Latina y Teología Oriental, 360.
- P. Prieto, La Psicología de Cristo, 360.
- F. J. Sheed, Teología y sensatez, 360.
- R. Paone, Fiori della lirica italiana con la versione metrica latina, 361.
- J. Montjuvin, Rome et les débuts du moyen age, 361.
- C. Arrius Nurus, Pegasus Tolutarius, 362.
- Sófocles: Tragedies, III, 362.
- G. Cambier, Horace Odes choisies et accompagnées de scolies, 362.
- A. I. d'Accinni, Cicerone: Le Tusculane, 363.
- A. Cavin, Tito Livio: Ab Urbe condita, 363.
- G. Rohlf, Vom Vulgarlatein zum Altfranzösischen, 363.
- F. Lennartz, Ausländische Dichter und Schriftsteller unserer Zeit, 364.
- V. Ciafi, Petronio in Apuleio, 364.
- A. Tovar, Platón: El Sofista, 364.
- G. Scarpat, Q. S. F. Tertuliano: Adversus Praxean, 364.
- H. H. Paoli, De senectute. Indorum sapientia, 365.
- J. Van Ooteghem, Luctus Marcius Philippus et sa famille, 365.
- M. Craveri, Syntaxis ornata, 365.
- L. Castiglione, P. Vergili Maronis: Bucolica. Georgica, 365.
- D. Bo, Q. Horatii F.: Opera, vol. III, 366.
- K. Tilmann, Iniciación de los niños en el arte de meditar, 366.
- L. Allevi, Misterios paganos y Sacramentos cristianos, 367.
- F. Schreimayr, Manual de Catecismo Católico, 367.
- H. Dobbstein, Psiquiatría y cura de almas, 368.
- H. H. Paoli, Avventure e segreti de mondo greco e romano, 368.
- L. C. Burns, Los niños inadaptados, 368.
- M. Galino, Historia de la Educación, edades antigua y media, 422.
- A. Maddalena, Sofocle: Electra, 422.
- Cicerón: Discours, 422.
- M. Bassols de Climent, Glossarium mediae Latinitatis Cataloniae, 423.
- R. Ugucioni, Ragazzi, facciamo il componimento 423.

- P. Menna*, *Aspetti sintattici e lessicali di carattere intimo e familiare nelle lettere Ciceroniane*, 423.
- M. David*, *Comment enseigner la rédaction, ou l'art d'écrire par l'étude des textes*, 242.
- A. Garmendia de Otaola*, *Educación cinematográfica*, 424.
- A. Garmendia de Otaola*, *Estética y ética del cine*, 424.
- Ch. Moeller*, *Literatura del siglo XX y Cristianismo*, 425.
- M. Delaunois*, *Le plan rhétorique dan l'éloquence grecque d'Homère a Démosthène*, 426.
- J. Rivière*, *El pensamiento filosófico de Asia*, 426.
- W. Zschietzschmann*, *Prométhée: Histoire illustrée de la civilisation grecque et romaine*, 427.
- J. Lacarrère*, *Sophocle*, 427.
- H. Schmitz*, *Intelix Dido*, 427.
- E. P. Arias*, *Problemi di storia dell'arte greca*, 428.
- A. Severyns*, *Grèce et proche-orient avant Homère*, 428.
- Horati Flacci: Opera*, 483.
- R. Charles*, *Textes Latins*, 483.
- A. Raffaele*, *M. Pacuvio*, 483.
- M. Regard*, *Sainte Beuve*, 484.
- K. Quinn*, *The Catullan Revolution*, 484.
- J. Pérez de Izarra Saenz*, *La traducción del latín en treinta días*, 484.
- J. Aguirre A.*, *Temas graduados de Latín*, 484.
- J. Feo*, *Gramática Latina. — Iter, Método de Latín*, 485.
- M. Lavency*, *Exordium*, 485.
- L. R. Palmer*, *The Latin Language*, 485.
- Università di Genova*, *Menandrea*, 486.
- Omero: Gli eroi e la Guerra. La poesia dell'Iliade*, 486.
- Aristófanaes: As Ras*, 486.
- L. Laurand et A. Luras*, *Manuel des Études grecques et latines*, 486.
- L. Pedroti*, *Orientamento bibliografico per lo studio della letteratura latina*, 487.
- Herodoto: Textos escogidos*, 487.
- C. Bione*, *Prodromos. Avviamento allo studio della scienza dell'Antichità Classica*, 487.
- A. Grenier*, *Manuel d'Archéologie Gallo-Romaine*, 488.
- Saloustios: Des Dieux et du Monde*, 488.
- Orienzo*, *Carme essortativo (Commonitorium)*, 489.
- Tertulliano: Tre opere parentetiche*, 489.
- A. Pagano*, *Feste et Folklore di Sicilia*, 489.
- M. J. Boussard*, *Carte archéologique de la Gaule Romaine*, 489.
- F. Galiano - R. Adrados*, *Segunda Antología Griega*, 490.
- T. H. Mauver*, *Grammatica do Latim Vulgar*, 490.
- Prudenzio: Psychomachia*, 491.
- P. Druvers*, *Los Salmos*, 491.
- Cicerone: De officiis*, 492.
- Virgilio: Eneide, libro XI*, 492.
- S. Gili y Gaya*, *Curso Superior de sintaxis española*, 492.
- W. Braune*, *Gotische Grammatik*, 492.
- Propertius*, *Elegies Book I*, 493.
- A. Martinel*, *Éléments de Linguistique Générale*, 493.
- L. Ferrero*, *Cultura e poesia in Roma*, 493.
- Prudenzio: Cathemerinon*, 494.
- Virgilio: Le Corna d'oro*, 494.
- Ministère de l'Instruction Publique*, *Code de terminologie grammaticale*, 495.
- Erodoto: Costumi e vicende d'oriente*, 495.
- S. Battaglia*, *La tradizione de Ovidio nel Medioevo*, 495.
- D. Runes*, *The Art of Thinking*, 495.
- Boezio: Philosophiae consolatio*, 496.
- Isidoriana: Estudios*, 496.
- C. Koch*, *Religio*, 496.
- J. Defradas*, *La littérature grecque*, 497.
- H. Hempel*, *Gotisches Elementarbuch*, 497.
- E. Paratore*, *L'Epicureismo e la sua diffusione nel mondo latino*, 497.
- H. Thesleff*, *«Yes», and «no» in Plautus and Terence*, 498.
- Corneli Taciti: De vita et moribus Julii Agricolae liber*, 498.
- IN OPERCULIS*
- Mittelateinisches Wörterbuch bis zum ausgehenden 13 Jahrhundert*.
- C. Tagliavini*, *Le origini delle lingue neolatine. Introduzione alla filologia romanza*.
- F. Pruemer*, *P. Ovidius Naso: Die Fasten*.
- E. Correa Galderón*, *Teoría de la Atlántida y otras historias fabulosas*.

O. Schoenberger, Uebungsbuch des lateinischen Stils.

J. Van Ooteghem Luctus Licinus Lucullus.

P. Petit, Guide de l'Étudiant en Histoire Ancienne.

S. Nacht, El Psicoanálisis, hoy.

A. Embiricos, La Renaissance Cretoise. XVI^e et XVII^e siècles.

V. García de Diego, Lecciones de Lingüística Española.

M. Dolç, N. Valeri Marcial. Epigramas.

O. Badellino, Dizionario Italiano-Latino.

M. F. Galiano, La transcripción castellana de los nombres propios griegos.

H. Roth, Esta es mi fe.

A. e G. Maddalena, La literatura greca Storia e Antologia.

O. Hiltbrunner, Kleines Lexikon der Antike.

Ch. Brosgol-Remy, Ovide: Confidences et récits.

H. Dobbstein, Psiquiatría y cura de almas.

A. Tratna, Comoedia. Antologia della Pallata.

A. Zamora, Dialectología Española.

J. Aínsa, Tedèrrit: Idil'lis.

J. M.^a Casas, Quintília: Institució Oratòria.

J. Michel, Grammaire de base du latin.

A. Ullmann, Précis de sémantique française.

R. Godel, Una Grèce secrète...

H. Stern, Recueil général des Mosatiques de la Gaule.

A. Vives Coll, Luciano de Samosata en España.

Aspa - García, Lucius et Quintus.

In principium erat Verbum.

J. Ijsewijn, Conspectus poëtarum Latinorum saeculi vicesimi.

PALAESTRAE ADULESCENTIUM

Fabellae imaginibus ornatae

1961. — M. Ortiz, J. Grau, S. Esono, P. Atebá, J. Sanchis, Nivicandida et septem nani, 53.

Moderator, Bella perdix, bellissima perdix, 121.

J. Marqués, S. Moto, J. Palou, Tauri Michaeülluli fabella, 234.

M. Escura, V. Climent, Doctor omniperi-302.

1962. — C. Latorre, R. Vera, Fides amicitia servata, 370.

F. Trilla, J. Juvés, J. Labalsa, X. Satgt, J. Boronat, Barbae Caeruleae fabella, 430.

M. March, Cupto esse stellula, 475.

Narrationes

1961. — A. Martínez, Dives peccata confitetur, 58.

N. Mangeot, Cantis homicidam prodit, 61.

L. Rovedatti, Petrus in vincula coniectus fugit, 63.

P. Borés, Pueri ingentum et pietas, 128.

J. Bonmatt, Hereditas fabulosa, 129.

J. Cusals, Vergilius quondam, 236.

Indices cinematographi pediludio aptati, 237.

I. Jiménez, Roma, alma urbs, 238.

J. L. Latorre, Mater ejusque familia, 243.

N. Mangeot, Latet homicida sub toro, 245.

1962. — G. Joseph, De animalis fascinatione, 301.

M. Casajús, Kennedy praesidem esse voluit, quia munus neque facile neque commodum erat, 304.

R. Sarmiento, Simia vaniloqua, 309.

R. Sarmiento, Condor, 369.

J. Valle, Gabriel Eucharistiae Seraphim, 384.

C. Dolcimascolo, Quam Patris figuram prae se ferat Joannes Pontifex Maximus, 429.

C. Francis, Piper et sal, 435.

R. Sarmiento, Sciurus superbus, 438.

D. López, Esca suavissima, 476.

P. Pascual, Puert fidelitas, 480.

P. Capdevila, I. Ricart, De vetulo qui cornutus appellabatur, 481.

Imagunculae Historiae Romanae

1961. M. Molina, Lucius Quinctus Cinctinatus, 59.

M. Furtius Camillus ludi magistrum proditores punit, 126

Camillus parens patriae appellatur, 240.

1962 — M. Curtius pro patria dis manibus se devovet, 306.

T. Manlius consul filium captis damnat, 372.

Decius consul pro exercitu romano se dis devovet, 436

Romanorum ad furculas Caudinas clades, 478.

Curiosa - Jocosa - Aenigmata

50, 62, 128, 132, 239, 242, 244, 276, 308, 310, 374, 439, 440, 477, 480, 481.

Cantica

Ancoras persolvite, 64. — Kikirikí, 132. — Hippopotami cantilena, 248. — Imbrem rorat, 312. — Sol ecce montibus, 376. — Stella bella, mi mica, 440. — Quo plus nos comitatur, 482.

BIBLIOGRAPHIA

ASPA, J., C. M. F. — GARCIA, S., C. M. F. — *Lucius et Quintus: primer curso de Latín. LATIUM, Gramática y textos latinos.* Obra preparada bajo la dirección y con la colaboración del R. P. José María Mir, C. M. F., Director de «Palaestra Latina», Colsa, Madrid 1962. pag. 235, 25 1/2 x 19.

En tibi novus «Linguae Latinae cursus» nuperrime editus. Non agitur nisi de primo Cursu, sed incepto opus omnia ad facinora patranda. Apostolica «Veterum Sapientia» Constitutio, Sanctissimi Domini nostri Joannis XXIII f. r. non poterat jucundos non afferre fructus ad nostram instituendam juventutem in latina et matris nostrae Ecclesiae lingua.

Hanc enim mentem inspicientes, juniores latinitatis professores, PP. Aspa et García, sólidos jam dices magistros, librum hunc sollertissimi paravere, quo quasi manu vel intuitu potius, alumni in addiscenda Lingua Latina ducerentur. Methodi inscriptio vel titulus is: LUCIUS ET QUINTUS. Qui et subridentes in propatulo, quasi libri nuntii, adparent. Itque toto libri cursu de latina lingua subridentes inter se colloquia conserunt.

Quadraginta admodum in capita libri materies disperitur. Ita unaquaeque lectio est disposita, ut quasi centrum et thema proponatur, cui quidem et pulchra imago adjungitur alumni mentis excitandae gratia. Themati autem apposita aptiora sunt elementa ad subsequenter grammatice explanationem. Neque proprium et accuratum vocabularium desideratur.

Duae insequentes thematis pagellae grammaticae disciplinae tribuuntur: declinationibus, conjugationibus, praecipuis morphologiae regulis. Quibus et interseruntur primordia syntaxeos et stilisticae. Neutquam vero exercitationes deficere poterant. Pagina in primis lectionibus eisdem datur; pensum in insequentibus duplex redditur. Identidem exerci-

tationes juges interponuntur, ad latinum colloquium instituendum peropportuna.

Finis frequentium tabellarum, delineationum, imaginum est in discipulorum mente figere vel praecipuam linguae latinae notionem, vel ipsum illustrare thema vel exercitationem movere.

Libri autem externa facies quid novitatis nostrique temporis prae se fert, qui animum alumni latinitatis non potest non «ad asperiora» attollere. Enimvero, tota dispositio typographica affabre decoratur. Cumque omni in re grata varietas, et non nulla cantica alumno proponuntur concinnanda.

Utinam et alii mox «cursus Latinae Linguae» edantur, quos grammatica vere fundamentalis seu «basica», tanquam fastigium regium, ornet atque honestet. Id quidem nobilis Romanorum sermo expostulat: «Neque vero cuique in dubio esse potest, quin sive Romanorum sermoni sive honestis litteris ea vis insit, quae ad tenera adolescentium ingenia erudienda et conformanda perquam apposita ducatur» (JOANNES XXIII, «Veterum Sapientia», I, num. 10).

I. GONZALEZ, C. M. F.

J. IJSEWIJN — JACOBS. — *Conspectus poetarum Latinorum saeculi vicesimi.* EUPHROSINE, separata do vol. III — Lisboa. 1961, pag. 149-190. Antuerpiae.

Auctor synopsis bibliographicam poetarum latinorum saeculi vicesimi, quam potuit absolutissimam, proferre voluit. Praeter poetas, certamina etiam poetica et commentarios linguae latinae excolendae editos memoravit.

In clari scriptoris animo et propositum manet rei in dies protrahendae in studiosorum commodum atque otium. Hinc illa ejusdem, ante finem, nota: «Poetas, qui post hunc conspectum conscriptum opera foras daturi sunt, quoquo anno in commentariis Vaticanis, q. t. Latinitas, recensebimus».

A. MARQUÉS, C. M. F.

In principio erat Verbum. Evangeliorum Sancti Laurentii Leodtensis, Codex Bruxellensis 18339, fol. 125v, saec. XI. Pro manuscripto, Steenbrugs, in Abbatia Sancti Petri, MCMLXI.

Sic se habet proemium hujus modi libelli: «Sententiae quae sequuntur, in antiquo codice Bobbiensi leguntur, qui nunc in celeberrima Ambrosiana bibliotheca signatus est numero F 60 sup. Codex miscellaneus est, diversis manibus saeculo VIII exaratus, partim in Hibernia, partim in supra memorato monasterio sancti Columbani... Inter haec excerpta latet inedita (ni fallimur) parva quaedam et imperfecta explanatio in evangelium secundum Joannem, quam infra primum typis mandamus... Duo scribae Hibernici has paginas descripserunt in Bobbiensi coenobio sae-

culo VIII exeunte; ibidem fortasse et commentarius ipse concinnatus est, praesertim ex tractatibus sancti Augustini in idem evangelium. Perpulchrum specimen praebet exegeticos, quam tam assidue colebant Hibernici scriptores illius aevi...

Textus ad verbum explanatur; sententiae leviter tantum connectuntur, sed hic illic pretiosa interdum inseritur margarita, quae aevum illustratur illud, nec eruditione nec sapientia praepollens, sed opimas (quaeque inventebantur) lacrimas sollertissime tradens pauca de suo ingenio addens». —Quattuordecim pulcherrimis pagellis constat commentarium, quod nunc in lucem edunt clarissimi moderatores novi corporis Patrum, cui titulus: Corpus Christianorum.

PHILOPONUS, C. M. F.

Socios et subnotatores nostros monitos volumus pretium
Commentariorum in annum 1963 ita constitutum esse:

PALAE STRA LATINA

in Hispania	constat	80 pesetis
in America Hispanica		80 pesetis
in Gallia		10 francis
in Italia		1200 libellis
in Germania		8 marcis
in Anglia		15 solidis

In reliquis civitatibus —nisi aliud cum Procuratore nationis pactum sit— 2 dollaribus.

PALAE STRA ADULESCENTIUM

in Hispania	constat	25 pesetis
in America Hispanica		25 pesetis
in Gallia		3'5 francis
in Italia		350 libellis
in Germania		2'5 marcis
in reliquis civitatibus		0'80 dollaris

In Institutis, Collegiis, Seminariis ubi alumni socii sint
numero decem, pretium erit: 20 pesetarum